EXERCITATIO ACADEMICA
DE
SVBLIMI
PRINCIPVM AC STATVVM EVANGELICORVM
DISPENSANDI IVRE
IN CAVSIS ET NEGOTIIS TAM SACRIS QVAM PROFANIS.



QVAM
IN REGIA FRIDERICIANA
CONSENSV ILLVSTRIS FACVLTATIS IVRIDICAE
SVB PRAESIDIO
MAGNIFICI ACADEMIAE PRO-RECTORIS
DOMINI

IVSTI HENNING. BOEHMERI ICti

S. REGIAE MAIESTATI BORVSSICAE A CONSILIIS
INTIMIS PROFESSORIS IVRIS ORDINARII.
RESPONDENS

IOANNES CHRISTIANVS von Rauner

AVGVSTANVS
PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS CONSEQVENDIS
PVBLICO ET SOLEMNI ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTET.

IN AVDITORIO MAIORI,
AD DIEM XIX. MENSIS OCTOBRIS, ANNI CIƆ IƆCC XXII.

HALAE MAGDEBVRGICAE, LITTERIS HENDELIANIS. 1725.



SECTIO I.

DE IVRE DISPENSANDI IN GENERE.

CAP. I.

DE CONCEPTV DISPENSATIONVM GENVINO, TVM ET DE FATIS EARVNDEM IN IVRE CIVILI.

CONSPECTVS.

AVctores praecipui, qui de dispensationibus scripsere. §. 1.

Vox dispensationis originem debet iuri ecclesiastico antiquo: Res ipsa tamen in iure ciuili non incognita fuit. §. 2.

Diuersa dispensationum fata pro diuerso statu legum; & primo quidem fata dispensationum in statu reipublicae rom. democratico. §. 3. 4.

Item in statu aristocratico, sub finem. §. 4.

Tandemque in statu monarchico. §. 5.

Iura a principibus constituta olim specialiter audiebant constitutiones. Harum diuisio & diuersitas. Quid ius singulare & speciale? §. 6.

Ius speciale quot modis constituatur? Tribuitur autem illud 1.

Can-

§. I.

Auctores praecipui qui de dispensationibus scripsere.

VSu frequentissima est doctrina *de dispensationibus*, variisque scriptis explicata atque illustrata; sed quod negari nequit, tam amplum diffusumque ambitum habet, vt alienae industriae adhuc plura relicta esse videantur, qua vel confuse & obscure posita, in debitum reducantur ordinem, vel peruerse tradita emendentur. De *dispensationibus ecclesiasticis* egit succincte, sed elegantissime, FRANCISCVS FLORENS, ICtus Parisiensis in operibus suis iuridicis *P. I. p. 317.* qui prae multis aliis conceptum dispensationum satis accurate tradidit. Diffusior est PYRRHVS CORRADVS *in praxi dispensat. Apostol.* sed etiam confusior, nec vbique sobria tradit, pro more scriptorum eius generis. Dissertationibus academicis quoque quidam in hoc themate enucleando aliquid studii posuere, ut SCHROETERVS ICtus Ienensis, VNGEPAVER, ZIEGLERVS, BECHMANNVS, HOFFMEISTERVS, STRVVIVS, aliique; (*a*) Sed in conceptu eius euoluendo

(*a*) Ita complures alii recensentur a LIPENIO *in bibliotheca iuris*, quos inter praecipuum quendam tenere videtur locum IOH. BANDAEVS, Gallus, *de dispensationibus & Formulis dispensationum.*

do non vbique ἀκριβῶς egerunt. Incidenter plures hanc attigerunt materiam, vt ZIEGLER *de iurib. maiestat. lib. I. cap. 7.* MYLER AB EHRENBACH *de principibus & statibus imperii cap. 50.* RHETIVS *instit. iur. publici lib. II. tit. 7.* L. B. de LYNCKER *in commentario ad ius ciuile, tit. de constitutionibus principum* §. 16. aliique, qui de *legibus* & *priuilegiis* egerunt.

§. II. Dispensationis, eo sensu, quem hic tueri instituo, appellatio *in iure ciuili* non occurrit, sed magis ex *iure antiquo ecclesiastico* ad fora & subsellia principum est tracta, vt infra, vbi fata eius enarrauero, tradendum erit. Res ipsa tamen, quae hac sub denominatione latitat, *iuri ciuili* haud incognita est, prout conceptus eius, ante omnia euoluendus, demonstrabit. Videlicet noto notius est, leges scribi subditis, vt actiones suas secundum eas instituant, & quidem praecise & sub *obligatione perfecta*, *seu coactiua*. *Aut* enim leges poenam in contradicentes constituunt, *aut* actum contra eas gestum irritant, *aut* denique ad satisfactionem priuatam (*b*) eos cogunt, qui contra leges in praeiudicium alterius egerunt. Cum itaque norma esse debeant *actionum* eorum, qui in societatem ciuilem abierunt, consequens est, vt *ius commune* omnibus constituere debeant, & quoscunque ligare, nisi quos legislator speciatim ab earum vinculo exemit. Id ipsum innuere videtur VLPIANVS in *l. 8. D. de LL.* aiens: *jura non in singulas personas, sed generaliter constituuntur.* *Legis* enim, auctore CICERONE *lib. III. in f. haec vis est, scitum esse vel iussum in omnes.* Inde in *l. I. D. de LL.* lex dicitur *commune praeceptum.*

Vox dispensationis originem debet iuri ecclesiastico antiquo; Res ipsa tamen in iure ciuili non incognita fuit.

 §. III.

num. Tr. XIV. E recentioribus autem omnibus reliquis anteponi merentur PETRVS de MARCA & LVD. THOMASSINVS ille in *concordia sacerdotii & imperii*, hic in vasto opere *de vetere & noua ecclesiae disciplina.*

(*b*) Vide, quae latius huc differit Magnif. DN. PRAESES *in introductione in ius publicum vniuersale p. spec. L. II. C. III. §. 48. sqq.*

Diuersa dispensationum fata pro diuerso statu legum.

§. III. In republica Romana pro statu diuerso legum non minima fuit diuersitas. In *republica democratica* lex dicebatur *generale iussum populi aut plebis, rogante magistratu in comitiis.* Vnde colligit GELLIVS *lib. X. noct. attic. c. 20.* neque de imperio C. Pompeii neque de reditu M. Ciceronis, neque de caede P. Clodii quaestiones, neque alia id genus populi plebisue iussa, *leges* vocari posse. *Non sunt enim*, pergit, *generalia iussa; neque de vniuersis ciuibus, sed de singulis concepta. Rogationes huiusmodi* scita populi κατ' ἐξοχὴν dicta fuisse innuit FESTVS, voce *rogatio*, aiens: *Rogatio est, cum populus consulitur, de vno pluribusue hominibus, quod non ad omnes pertineat, & de vna pluribusue rebus, de quibus non omnibus sanciatur. Nam quod in omnes homines resque populus sciuit, lex appellatur.* Ita vero *stricte* differebant *lex* & *rogatio.* Nam confuso & *indistincto* vocabulo leges quaecunque etiam *rogationes* dictae fuere, vt innuit GELLIVS *cit. loc.* a ritu leges rogandi. Plura autem praeter leges stricte dictas per rogationes populo proposita in comitiis fuisse, nemo in dubium vocabit, adeo vt etiam causae priuatae singulorum, vt testamenta, adoptiones &c. *per rogationes* fierent, vt auctoritate publica firmarentur, quae tamen leges proprie non erant.

Et primo quidem in statu reipublicae rom. democratico.

§. IV. Magnopere vero in statu democratico solliciti erant, ne leges in singulas personas constituerentur, *ad aequalitatem* inter omnes subditos eo sanctius conseruandam, quae admodum huic statui amica est atque conueniens. (*c*) Inde in

(*c*) Postulat id *status democratici* natura, vt aequalitas inter ciues conseruetur. Itaque etiam vt aequali iure ciues fruantur, necesse est. Cum autem per priuilegia ab illa aequalitate recedatur, paucorum libertas laxetur, coeterorum restringatur, & omnes tamen aequali semper libertatis desiderio teneantur, non possunt non inde odia, inuidiae, dissensiones, & aemulationes, vitia vnioni ciuitatis e diametro aduersantia, oriri. Pertinet omnino

in LL. XII. Tabul. & quidem Tab. IX. cautum fuit: *priuilegia ne irroganto!* In cauſſa ſua ad eam legem provocat CICERO *pro domo ſua ad pontif. vetant leges ſacratae, vetant. XII. tabulae leges priuis hominibus irrogari: id eſt enim priuilegium, quod nemo vnquam tulit. Nihil eſt crudelius, nihil eſt pernicioſius, nihil quod minus haec ciuitas ferre poſſit.* Vnde cum plebiſcitum nominatim in ſe latum recitaſſet, haec ſubiungit; *hoc plebiſcitum eſt? haec lex? haec rogatio eſt? hoc vos pati poteſtis? hoc ferre cunctos, vt ſinguli ciues ſingulis verſiculis è ciuitate tollantur? Priuorum* hominum in adductis verbis fit mentio, quod notante FESTO, voce *priuus, priuos priuasque antiqui dicerent pro ſingulis, ob quam cauſam & priuata dicuntur, quae vnius cuiusque ſunt, hinc & priuilegium & priuatus*, id quod etiam teſtimonio GELLII *cit. l.* confirmatur. Rurſus CICERO *LL. lib. III.* explicans legem decemuiralem latam haec addit: *in priuatos homines leges ferri noluerunt: id eſt enim priuilegium, quo quid eſt incertius? cum legis haec vis ſit, ſcitum eſſe & iuſſum in omnes.* Scilicet *iudicio* agendum erat de ſingulis; *legibus* de omnibus & vniuerſis. Aſt poſtquam quorundam ciuium ſeditioſus ambitus corrupit rempublicam, bellaque concitavit ciuilia, *de ſingulis* quandoque ſcita populi lata fuiſſe, (*d*) antiquitates memorant, id

Item in ſtatu ariſtocratico.

no huc, quod SENECA ait *epiſt. 30. Prima pars aequitatis eſt aequalitas.*

(*d*) REINH. BACHOVIVS *comment. ad inſtitut. L. 1. tit. II. p. 27. Hoc*, inquit, *erat iuris ordinarii, vt ne priuilegia irrogarentur. Potuit tamen populus ex cauſa ſpeciali, ſupremae poteſtatis iure, priuilegium ferre. Quomodo non raro id accidit contra leges generales, qua v. c. Magiſtratus ante certum tempus capere, aut intra certum tempus iterare vetant. Id ſub libera republ. rogationibus ad populum latis fiebat: poſt ſub principibus ſimplici conceſſione, quoniam principis ſanctiones leges erant. Et hoc non raro factum & iure quoque fieri potuiſſe, diſcimus ex* CICERONE *3. de legg. in extremo.*

id quod etiam CICERONI proſcripto contigerat, vt verba adducta ex *oratione pro domo ſua* indicant.

Tandemque in ſtatu monarchico.

§. V. Hic quorundam in republica libera dominatus anſam dedit, vt, ea deſtructa, ſub vnius imperio populus poſtea contineretur. Sic, ſtatu mutato, magna quoque in legibus mutatio contigit. SCta praeuia oratione principum in ſenatu condebantur, quae vim *legis comitialis* habebant. Sed etiam principes ius conſtituebant, & quidem maiori cum libertate, ac quidem olim in libera republica ipſe populus. Neque enim tantum *ius generale*, quod omnes ligaret, ſed etiam *ſpeciale* in ſingulos conſtituerunt. Caute tamen abſtinuiſſe videntur appellatione *priuilegiorum* imperatores, romanis magnopere odioſa, & eadem *conſtitutiones ſpeciales* appellitaſſe, quamuis, more hoc ſemel introducto, ICti *priuilegiorum* appellationem reduxiſſe videantur, vt conſtat ex *l. 196. de R. I.* vt tamen magis *beneficii* nomine vterentur *l. 3. de conſtit. princip. l. 43. pr. de vulg. & pupill. ſubſtit. l 68. l. 191. de R. I.* &c.

Iura a principibus conſtituta, olim ſpecialiter conſtitutiones audiebant; harum diuiſio & diuerſitas.

§. VI. Videlicet iura a principibus conſtituta, CONSTITVTIONES ſpecialiter dicebantur, quae erant vel *generales* vel *ſpeciales*. Illae omnes tenebant & ligabant, ſed non aeque hae, vt docet *l. 1. de conſtit. princ. §. 6. inſtit. de iure nat gent & civ.* Speciales ſcilicet conſtitutiones a *iure communi* ſeu *generali* recedebant, *l. 14. de LL.* & ideo ad conſequentias non erant producendae, quod reuera exceptionem a regula conſtituerent. Ita ergo illae explicandae erant, vt *ius ſingulare*, hoc eſt, a iure communi recedens, illis indulgerent, quibus ſpeciatim datae erant, vt innuit ICtus in *l. 1. in f. ad municip.* quia alioquin ius ſpeciale non erant. Varia autem ratione contingit, *vt ius ſpeciale* conſtituatur, quod praemittendum, vt natura *priuilegii* eo rectius cognoſcatur.

Ius ſpeciale quot modis

§. VII. Videlicet I.) ius ſpeciale quandoque tribuitur *cauſſis & rebus* ex ſingulari ratione, quae eas concomitatur.

Talia

Talia iura singularia a iure communi deviantia data sunt dotius, piis caussis, rebus nauticis, mercaturae, libertati, alimentis, nominibus publicis &c. quae proprie *priuilegium* dici nequeunt, quod non in singulas personas iura constituantur, id quod ratio eorum exposcit, vtut abusiue etiam hoc nomen accipere soleant. II.) Certo personarum ordini *in genere* plura iura singularia passim sunt tributa, citra respectum ad certum subiectum, & ita rursus in singulas personas ius non fertur; sed potius *ius perpetuum*, quamuis *singulare*, huic ordini personarum conceditur. Sic iure singulari fruuntur in genere milites, minores, ministri ecclesiae, miserabiles personae, mulieres, professores, studiosi, aliique plures. III.) Denique *certae personae* quandoque ius singulare datur, & ita lex in *certam personam* fertur, quam *constitutionem personalem* vocant ICti. Ex *his constitutionibus* enim, ait *ICtus in l. 1. §. 2. de constit. princip. quaedam sunt personales, nec ad exemplum trahuntur. Nam quae Princeps alicui ob merita indulsit, vel si quam poenam irrogauit, vel si cui sine exemplo subuenit, personam non egreditur.* Tria harum personalium constitutionum suppeditat exempla. *Primum est, si quid Princeps alicui ob meritum indulsit*, concedendo forsan Titio immunitatem a tributis, vel aliud ius speciale. Tale exemplum occurrit *in l. 43. pr. de vulg. & pupill. subst. vbi, qui filium habebat mutum puberem impetrauit a Principe, vt muto substituere liceret.* Non permissum erat patri, puberi substituere, vel eidem testamentum condere. Ergo speciatim hoc impetrandum erat, quod erat ius *huic*, non *alii* tributum, nec personam eius transgrediebatur. *Alterum* est, si quam poenam irrogauit, *maiorem* scilicet *& grauiorem*, quam iure ordinario sancitum erat, vt concurrentibus singularibus circumstantiis, publicum aliis exemplum statueretur, quod tamen rursus non erat in consequentias trahendum. *Vltimum* est, *si cui sine exemplo subuenit*, quorsum pertinet D. HADRIANI exemplum, qui maiori 20. annis hereditatem obaeratam adeunti,

constituatur? Tributur autem illud 1. Caussis & rebus.

2. Certo personarum ordini.

3. Certae personae.

Exempla constitutionum personalium.

unti, veniam dedit, cum post aditam hereditatem grave aes alienum, quod aditae hereditatis tempore latebat, emersisset. Addit vero imperator *in §. 5. I. de hered. qualit. & different: sed hoc quidem diuus Adrianus cuidam speciali beneficio praestitit,* adeoque regulam non constituebat *generalem,* sed tantum *ius certae personae datum.* Ita varia ratione ius in certas *constituerunt* personas, prout ratio aequitatis & iustitiae id postulabat.

Ius spec. certae personae tributum, in sensu stricto vocatur privilegium. Huius varia acceptio.

§. VIII. Quamuis vero in sensu stricto ius, certo indiuiduo contra tenorem iuris communis datum, *priuilegium* dicatur, quasi ius in *priuum*, seu in certam & singularem personam constitutum, inualuit tamen vsu forensi, ius quodcunque singulare, quo a iure communi receditur, *priuilegium* dici, siue certis caussis & rebus, (*e*) siue certo personarum ordini, siue certo indiuiduo fuerit attributum. Sic I.) intuitu rerum & caussarum *in l. 196. de R. I.* priuilegia diuiduntur, *quod quaedam caussae sint, quaedam personae.* Priuilegium doti tribuitur *in l. 74. de iur. dot. l. 22. in f. solut. matrim. l. 52. pr. & §. 1. de pecul.* item debitis pupillaribus in tutelae iudicium deductis *in l. 9. §. 1. in f. de admin. & peric. tut.* pecuniae in refectionem aedium creditae, *in l. 25. de reb. cred. &c.* II.) Similiter ius singulare, quod *certo personarum ordini* datum est, passim dicitur priuilegium, (*f*) vt in *l. 36. §. f. de fideicom-*

(*e*) Certe si vulgarem loquendi usum spectes, *priuilegium* vocabulum sequioribus hisce temporibus illi praecipue iuri, quod certo personarum ordini, conditioni & qualitati, certisque caussis conceditur, adhaesit. Ita enim iura pupillorum, militum, studiosorum, clericorum, piae caussae, dotis, creditorum quorundam, priuilegia communiter dicuntur.

(*f*) Equidem ZIEGLERVS *de iur. Maiest. L. I. C. XII. §. 4.* eiusmodi priuilegium, certo personarum ordini tributum, a *iure singulari,* proprie sic dicto, in eo differre asserit, quod tale priuilegium adhuc iuri communi & eius rationi subsit, ius singulare autem a ju-

commiss. libertat. vbi mentio fit *priuilegii ciuitatis* vel *corporis*, vel *officii:* priuilegia militum allegantur in *l. 40. de admin. & peric. tut l. 24. de testam. militum* §. *1. l. eod.* priuilegia fisci *in l. 6.* §. *1. de iure fisci &c.* Denique, quin III.) ius, quod certo indiuiduo datum fuit, *priuilegium* recte vocetur, nemo forsan in dubium vocabit.

§. IX. Quae cum ita sint, principaliter nunc inquirendum est, vtrum *dispensatio priuilegium* constituat, ita, ut ab eo realiter haud differat? Vtplurimum definiunt *dispensationem prouidam relaxationem legis publica auctoritate factam vtilitate vel necessitate pensatam;* SCHROETER *de dispensat. sect. I. n. 9.* ZIEGLER *de iur. maiest. lib. I. c. 7.* §. *2.* MYLER ab EHRENBACH *de principibus & statibus imperii c. 50.* §. *2.* (g) Enimuero, admodum manca haec definitio videtur. *Videlicet* lex gene-

Definitio dispensationis.

B

a iuris communis ratione seorsim agat, ita vt *ius singulare* deroget iuri communi, & contra eius tenorem feratur, priuilegium non deroget, sed potius integret illud, addendo scilicet, vel detrahendo, faciatque subiectis suis quadrare aptumque fieri; Verum subtiliter ista magis, quam utiliter obseruantur.

(g) Eodem tenore etiam à PYRRHO CORRADO *in prax. dispensat.* definitur, *quod sit iuris communis relaxatio, facta cum causa iusta & rationabili ab eo, qui ius habet dispensandi.* Secundum HOSTIENSEM vero dispensatio est *rigoris iuris per eum, ad quem spectat, misericors canonice facta relaxatio.* Scilicet canonistae, nulla accuratione adhibita, iura singularia, priuilegia, & dispensationes eadem plerumque definitione complectuntur, nec ad peculiarem quandam relaxationum speciem, quae strictiori sensu dispensationis voce insigniri mereatur, ab iis attendi solet. Paulo accuratius, etsi nondum ad rigorem satis, dispensatio a recentioribus philosophis, viris celeberrimis, GROTIO, PVFENDORFFIO, HOCHSTETTERO &c. definitur. Ita enim GROTIVS *in libro singulari, de aequitate indulgent. & facilit.* ipsius *de I. B. & P.* tractatui subnexo, *indulgentiam*, cuius actio est *dispensatio*, describit, *quod sit virtus voluntatis in*

generalis poteſt relaxari vel *in genere*, vt in quibuscunque caſibus emergentibus lex generalis officium ſuum perdat, vel *in ſpecie*, vt tantum in certo caſu praeſente, non in vniverſum applicari debeat. Prius contingit, ſi per *legem publicam* generaliter ius commune laxatur intuitu certae cauſſae, vel perſonarum, quorſum pertinent milites, quibus remiſſa ſunt in genere ſolennia, quatenus in expeditione degunt, ita, vt *ius ſpeciale perpetuum* militibus tribuat, & in genere militibus proſit, id quod *diſpenſationis* nomine non venit, nec *ius perſonale* conſtituit, cum ad certam perſonam non ſit directum. Tale vero conſtituit *diſpenſatio*, quae id vnice intendit, vt in certo caſu cuidam ius laxetur, ſed citra exemplum. Poteſt enim rurſus intuitu perſonae vinculum legis laxari, vel *vt quis in genere & ſem-*

in eo, qui poteſtatem habet ad tollendam legis obligationem in perſonis, factis, aut rebus, particularibus aut ſingularibus, quatenus id fieri poteſt ſine imminutione iuſtitiae aut publicae utilitatis. Fatendum vero, paulo obſcuriorem hanc eſſe definitionem; deinde non tam diſpenſatio, quam facultas diſpenſandi a GROTIO hic definitur. Propius rem PVFENDORFFIVS tangit, cum *cap. II. de O. H. & C. §. 9.* ipſi *diſpenſari* dicitur, *ſi quis ab obligatione legis peculiariter ſolvatur.* B. HOCHSTETTERO autem *in colleg. Pufend. exerit. III. §. IX. p. 122.* diſpenſatio dicitur *exemtio inferioris a lege illiusque obligatione, ad ipſum alias pertinente, ſalua interim in reliquis manente legis autoritate, facta ab eo, qui legem tulit.* Gemella videas apud. Illuſtr. DN. THOMASIVM in *Iurisprud. div. L. I. C. I. §. 7. 9.* quippe ex quo definitionem ſuam hauſiſſe videtur HOCHSTETTERVS. Nec abnuendum, poſtremam hancce definitionem reliquis longe perfectiorem, ſatisque accuratam eſſe, ſiquidem diſpenſatio in ſenſu aliquantum latiori, prout & priuilegium includit, capiatur. At vero nos diſpenſationem iam in ſenſu ſtrictiſſimo, prout & ipſis priuilegiis contradiſtinguitur, ac nobiliſſima eorum ſpecies dici poteſt, conſideramus.

ſemper ab eo liberatus & immunis ſit, vel & tantum in certo ac definitio caſu, in quo princeps gratiam rei duntaxat facere voluit, quod ultimum communi ſtylo forenſi per *diſpenſationem* fieri dicitur. Porro lex eſt vel *prohibitiua* vel *praeceptiua:* vtraque vinculum iniicit vel ad omittendum, vel ad faciendum; ergo vtriusque vinculum relaxari poteſt, mediante diſpenſatione, vt actus licite & valide omitti vel fieri queat. Neque enim diſpenſatio tantum contra legem *prohibitiuam*, ſed etiam *praeceptiuam* fieri poteſt, cum diuerſitatis ratio idonea dari nequeat. Hiſce praemiſſis, *diſpenſatio* definiri poteſt, *quod ſit prouida & gratioſa legis prohibitiuae vel praeceptiuae a legislatore facta relaxatio in certo & peculiari caſu, vt hic, citra exemplum tamen, licite, & valide fieri vel omitti queat, qui alias omittendus vel faciendus erat ex legis praeſcripto.* Sic itaque diſpenſatio ſine omni dubio conſtituit *ius perſonale*, atque exempla §. 7. allata huc referri poſſunt, ſi id, quod de *maiori* & *grauiori* poena allatum eſt, exceperis; fit enim omnis diſpenſatio ad inſtantiam petentium & ita *gratioſa*, imo *beneficium* aliquod eſt, & per ſpecialem gratiam impetratur, cum poenae grauioris applicatio, citra exemplum, citra vllius inſtantiam, proprio motu a principe, qui arbiter legum eſt, fiat, adeoque illa hoc caſu non tam laxat & remittit legis vinculum, quam id intendit, auget, firmat.

Definitio noſtra.

§. X. Ita vero a *priuilegio* non adeo differre videtur, ad minimum vt eius ſpecies eſſe videatur, ſicuti *beneficia principalia* primariam ſpeciem *priuilegiorum* conſtituebant. *l. 3. de conſtit.* Nihilominus tamen L. B. de LYNCKER *in comment. ad ius ciuile, tit. de conſtit. princ. §. 16.* decem differentias adfert, quas paucis repetere lubet. Ait: diſpenſatio 1) ſemper legem praeſupponit, eamque 2) poenalem & plerumque 3) prohibitiuam; 4) fieri etiam poteſt a magiſtratu ſubalterno per voluntatem principis in quibusdam, ſaltem delegata poteſtate. 5) Nunquam debet fieri ſine cauſſa; 6) eximit ſolum legi eiusque poenae; ſed priuilegium ponit etiam ſaepius quid & erogat. 7) Rarius citra recognitio-

Quomodo differat diſpenſatio a priuilegio? recenſentur differentiae a Lynckero propoſitae.

 nem,

nem, Dispensations-Gebühren, 8) solum in vno actu, cum quo desinit, atque hinc in heredes non transit; adeoque 9) strictissimae interpretationis est, 10) alios a simili impetratione nunquam excludit, nec officit aliis, sed solum impetranti consulit.

Quae & examinantur. §. XI. Hae differentiae tamen non adeo adaequatae esse videntur, siue priuilegium in sensu generali, pro *iure speciali* certis caussis rebusque, vel certo personarum ordini, tributo, siue in sensu speciali pro *iure personali* certo indiuiduo, *in genere*, seu in quibuscunque actibus dato, accipiatur. Nam etiam 1) priuilegia praesupponunt *legem*, contra cuius tenorem quid constituunt, quia alioquin exceptionem a regula, seu ius singulare constituere non possent. Priuilegia 2) etiam *contra legem poenalem*, (*b*) indulgeri possunt. Ignorantia iuris non est sine poena: militibus tamen haec non nocet, & in hoc ipso priuilegiati dicuntur. Quidsi venatio sub poena omnibus interdicatur, studiosis autem per priuilegium ea concedatur? Nec 3) dispensatio semper legem *prohibitiuam*, sed etiam *praeceptiuam*, aeque vt priuilegium, praesupponere potest. Omnibus iure canonico praeceptum est, vt die paschae sub poena excommunicationis sacra eucharistia vtantur, exceptis iis, quibus haec necessitas per *dispensationem* remissa est. Ieiunia eodem iure

(*b*) Quin vero, cum omne priuilegium supponat legem, eamque vel praeceptiuam, vel prohibitiuam, omnis autem lex, siquidem valore vllo gaudeat, sanctione poenali roboretur, hinc liquet, omne priuilegium suo modo contra legem poenalem indulgeri. Nisi enim *actus* priuilegio *permissi* ad omittendum vel committendum antea lege determinati fuissent, neque *priuilegium* circa eos concedi potuisset. Quod enim nec praeceptum nec prohibitum, id omnibus liberum est. Vbi autem aequalis omnibus libertas, ibi priuilegio locus non est, siquidem deficiente *lege*, deficit quoque *priuilegium*, id quod natura sua *iuris* & *legis communis* est alteratiuum.

iure omnibus praecipiuntur, salua dispensatione. Praeterea 4.) potestate delegata, etiam a magistratu subalterno priuilegia indulgeri possunt, sicuti *ius statuendi* eadem potestate iis tribui potest. Imo 5) nec priuilegium sine *caussa* concedi debet, e contrario 6) dispensatio non tantum a poena eximit, quod etiam in priuilegio contingere potest, sed aliquando etiam quid ponit, hoc est, vt ego intelligo, *ius nouum* concedit, quale exemplum est in *l. 43. de vulg. & pupill. substitutione*, vel in eo casu, quo princeps impuberi *testamenti factionem* concedit, id quod facit, mediante dispensatione relaxando legem, quae impuberi obstabat, quo ipso tamen aliquid ponitur, dum ius testamenti condendi impuberi citra exemplum indulgetur. Nec etiam 7) dispensationi proprium est, quod rarius sine pretio fiat, cum etiam plura dentur priuilegia titulo oneroso acquisita, vt docuit STRYCK *dissert. de priuileg. tit. oneroso adquisitis*, porro etiam 8) priuilegium ex sua natura *strictae* est *interpretationis*, cum ius singulare non sit producendum ad consequentias. *l. 14. de LL.* Quamuis enim iuxta *l. 3. de constit. princ.* priuilegia quam plenissime accipienda sint, id tamen tantum eo pertinet, *vt plene*, seu *cum effectu*, & ita accipiantur, vt reuera priuilegium esse possint, iuxta *l. 1. in f. ad munic.* nec denique 9) impetratio priuilegii semper alios ab impetratione simili excludit, nec semper officit aliis, licet id quandoque fieri ex accidente queat.

Genuina dispensationum a priuilegiis differentia.

§. XII. Restat ergo ex adductis differentiis tantum *octaua*, quod scil. dispensatio duntaxat ad *unum actum* determinetur, & cum eo exspiret, adeoque constituat *ius quoddam personale in uno aliquo actu*, (*i*) vt ne quidem ab eo, quo cum dispensatum

(*i*) Excipi quidem posset & per instantiam regeri, concessionem episcopi, qua homini pontificio inter euangelicos degenti conceditur, vt v. gr. per integrum ieiunii quadragesimalis tempus carne vesci queat, qua & extra carenam magnam ipsi come-

satum est, ad alios actus trahi queat. Sic cui *per dispensationem* permissum est, vt possit uxoris defunctae sororem ducere, ea defuncta, tertiam sororem, sine noua dispensatione ducere nequit. Huc respexit PYRRHVS CORRADVS, quando *in praxi apostolica dispens. lib. I. c. I. n. 5.* differentiam constituens *inter dispensationem* & *legitimationem* ait: *Dispensatio tanquam arida & odiosa tantum valet, quantum sonat, per eam namque tollitur impedimentum seu defectus quoad quid, veluti cum e. gr. illegitimus dispensatur super defectu natalium, vel in alio casu, vltra quem manet illegitimus. Legitimatio* vero est favorabilis & ampla, per quam omnis *macula tollitur, ac ciuis natalibus & ingenuitati, ac ad omnes effectus plene restituitur.* Equidem si secundum ius Romanum iudicandum est, etiam tale *ius personale* ad vnum actum duntaxat directm, *priuilegium* dici posset, *cum lex sit priua,* in certam personam constituta, parumque referre videatur, vtrum ad vnum actum, an vero ad similes alicui indulgeatur, quod vel exempla §. 7. adducta, quae ad *ius personale* expresse relata sunt, docent; *Ius* autem *personale* priuilegium esse supra dixi, vid. *l. 43. pr. de vulg. & pupill. Sub-*

comestio carnis die veneris & sabbathi tam diu permittur, quamdiu inter protestantes peregre versatur, vtique veri nominis dispensationem, nec tamen, quod requirimus, ad vnicum aliquem actum restrictam esse. Verum enim vero, id quod *de vno aliquo actu* diximus, cum grano salis accipiendum. Nimirum vnitas actus non *physice*, sed *moraliter* hic spectanda est. Quod si ergo, circumstantia aliqua *v. gr. temporis*, cum *actu* ipso per legis dispositionem iam connexa sit, etiam ipsa temporis ratio in ratione actus ex dispensatione permissi inclusa censeri, adeoque dispensatus a ieiunio tempore ieiunii quadragesimalis, etiam a ieiunio quadragesimali illius anni integro dispensatus haberi debet. Hoc casu enim actus ille, circa quem ius personale per dispensationem acquisitum est, etiam circumstantiam temporis, per praecedaneam legis ecclesiasticae dispositionem sibi iam innexam, secum trahere censetur.

subsistit. adeoque ne quidem hoc sensu a priuilegio differre videtur. Enim vero postquam *vsu forensi* priuilegium ordinarie praedicatur de tali *iure speciali*, quod contra regulam iuris communis quid *in genere* constituit, & ad omnes actus, circa quos priuilegium versatur, dirigitur, illisque *in genere* singulare ius perpetuum vel *nouam regulam* constituit, omnino haec differentia admittenda est. Sic ecclesiae & eius bona habent immunitatem ab oneribus publicis: quotiescunque ergo ea de nouo indicuntur, suo priuilegio vti possunt. E contrario, qui ex non priuilegiatis in certo casu tantum exemtus est ab inhospitationis onere, ille non tam *priuilegio generali*, quam *dispensatione* gaudet.

§. XIII. Stet ergo haec sententia, quod priuilegium ius *stabile* & suo modo *generale* intuitu priuilegiati constituat, iuxta quod in omnibus euenientibus casibus iudicari debeat, vtpote si forum priuilegiatum concessum est, quod semper allegari potest, quotiescunque priuilegiatus conueniatur. Quibus *beneficium competentiae* datum, hi eo frui possunt contra quoscunque debitores & ita porro. Idem non praestat dispensatio, *quae ius stabile & in genere* non indulget, sed actum quendam tantum permittit, ut licite & valide fieri possit, ad alios actus similes tamen (*k*) non extenditur. Hinc quoque non transit ad heredes, quod tamen priuilegiis quandoque conceditur, vt pote quae, si *realia* sunt, ius perpetuum & singulari successori profuturum ope-

Vlterior Confirmatio.

(*k*) Posses hinc nouam aliquam dispensationis a priuilegio differentiam comminisci, quod scilicet priuilegium ad haeredes transeat & in *reale* ac *personale* dispesci possit, dispensatio autem nec ad haeredes transmittatur, nec ista quoque ratione diuidatur. Huic adde & alium characterem, quod dispensatio haud raro a poena fiat a iudice iam dictata, eademque executioni proxima, priuilegium vero, nisi vocabulo valde catechrestice & contra omnem loquendi vsum sumto, a tali poena haud detur.

operantur, quod dispensationi applicari nequit. Denique addere & hoc posses, *dispensationem* esse *actum principis, quo ius personale* in certo casu alicui conceditur, adeoque hoc eius esse *effectum*, vt dispensatio vicem caussae subeat.

Hactenus dicta rediguntur in summam.

§. XIV. Atque ita videmur nobis genuinum dispensationis conceptum demonstrasse. Scilicet paulo curatius hic procedendum erat, ac a plerisque, si non omnibus, huc vsque factitatum cernimus. Interest enim omnino scire, quomodo dispensatio, quae in genere, vt GROTIVS loquitur, *solutio a lege*, vel *exemtio* quaedam est, a iure cum *singulari*, tum *singularissimo*, seu *personali*, & a *constitutione* cum *speciali*, tum *specialissima*, seu *personali*, quomodo item a *priuilegiis*, & *haec* quoque ab istis *iuribus* & *constitutionibus* differant. Quod si ergo dicta in compendium redigere, & eorum quodlibet iustis suis limitibus circumscribere velimus, ita procedamus oportet: Actiones humanae regula diriguntur, *lege*. Ab hac vnus alterue nonnumquam venit eximendus. Hae exemtiones, prout ipsae secundum *latius* & *strictius*, *magis* & *minus*, inuicem diuersae sunt, ita & diuersis insigniri nominibus solent. Olim, vt diximus, in republica Romana, eiusque inprimis statu democratico, neque *priuilegii*, neque *dispensationis* vox audiebatur. Adhibebantur autem voces *iurium* ac *constitutionum*, cum singularium & specialium, tum specialissimarum & singularissimarum, quae & *personales* vocabantur. Iura singularia & specialia erant, quae singularem & a regulis iuris exorbitantem habebant rationem v. gr. *iura*, quae circa pecuniam creditam recepta sunt *l. 15. ff. de R. C.* Constitutiones specialissimae seu personales erant, id quod hodie priuilegiorum ac dispensationum nomine venit. Postea cum priuilegiorum sub principibus, & tandem etiam dispensationum nomenclatura sub episcopis & papis inualuisset, varia iterum horum vocabulorum & acceptio fuit & con-

confusio. (*l*) Mox enim priuilegia *latius*, mox *strictius* accipiebantur. Qui a dispensationibus ista distinguerent, erant pauci, qui confunderent cum iis, plurimi. Sed nec ii, qui distinguebant, sufficientem ac perspicuam distinctionis suae rationem offerre norant. Medela tamen rei adhiberi & debebat & poterat. Hanc vero ut nos adhiberemus, in praesens operam nauauimus. Ex dictis enim, quis genuinis & *priuilegii* & *dispensationis* conceptus sit, patescit. Interea negari nequit, quod non essentialis aliqua, sed saltim accidentalis differentia inter ea intercedat, cum non nisi vt *latius* & *strictius* a se differant. Realis tamen illa est, & ad vnum ab altero discriminandum sufficiens. Nimirum non tam ab obiecto, quam ab obiecti extensione differentia petita est. Si enim ad plures actus *in genere* se extendat *dispensatio*, vocatur *priuilegium*, prout etiam obseruauit BVDDEVS *Elem. Phil. Pract. P. II. C. II.* §. *11.* Equidem nondum omnia diximus, quae huc dici possent. Quod si enim accurationem nostram persequi, & dispensationi suam ab aliis omnibus acceptionibus genuinam assignare differentiam pergamus, erunt forsan, qui eiusdem quoque a *relaxatione*, erunt, qui eiusdem a *licentia*, erunt, qui eiusdem a *venia* &c. discrimen audire aueant. Neque vero nos latet, relaxationem praecipue in materia de iuramentis dispensationi contradistingui, & quasi specialissimam eius speciem afferri. *Quibusdam enim dispensatio stricte dicitur, quando ad auferendum vinculum iuramenti solum spectatur*

de relaxatione.

C

(*l*) Mirum videri posset, tantam vbique in terminis confusionem apparere, tantamque vocabulorum ambiguitatem in hoc inprimis argumento reperiri. At mirari desinet, qui expenderit, hanc fere terminorum atque vocum, quae humanae impositioni ortum debent, naturam esse, vt ad similitudinem originis suae, *voluntatis humanae*, in horam mutabilis, ac intus liberae, & ipsae quoque varias subinde mutationes variasque acceptiones subeant; Id vero quam maxime dolendum, ista terminorum amphibolia solidam eruditionem, ad quam non nisi vocum vehiculo prouehimur, tam difficilem reddi atque impeditam.

tur potestas in personam iurantis cum causa ex parte eius: Relaxatio autem, quando causa potissimum attenditur ex parte eius, cui iuramentum factum est, unde dispensationem proprie locum habere aiunt in iuramentis, quae per modum voti soli DEO, vel absolute fiant; relaxationem vero in iuramentis promissoriis homini factis. (m) V. B. HOCHSTETTERVS *colleg. Pufend. exercit. VII. p. 310.* Nec latet quoque LAYMANNVM (n) Iesuitam & sequaces, etiam *licentiam*, quam superiores monachorum in coenobiis impertiri solent, a dispensatione diuersam facere. Sed recte, illum nodum in scirpo quaerere, notauit B. ZIEGLERVS in de *iur. maiest. L. I. C. VII. §. 4.* Tandem etiam non latet, quid circa *dispensationis* & *veniae* discrimen in medium proferri soleat, cum venia non solum poenae sublationem sed & eiusdem mitigationem denotet. Verum haec omnia tanti & talia non sunt, quibus immoremur. Suo enim quemlibet sensu heic abundare, facile permittimus.

licentia.

& venia.

Differt dispensatio a mutatione legis.

§. XV. Ex dictis vero simul liquet, quomodo dispensatio tum a legis *mutatione*, tum & ab eius *interpretatione restrictiua*, seu, vt vulgo loqui amant, ab *aequitate*, denique *a restitutione in integrum* distingui debeat. Dico primum a *mutatione*. Equidem & *dispensatio* sub *mutatione* aliquatenus comprehendi potest, ab illa tamen differt, quod per dispensationem non tam lex ipsa, quam eius circa unum alterumve subiectum valor atque efficacia mutetur. Manet enim lex, etiam interueniente dispensatione, salua, nec nisi circa *istum* praecise, cui dispensatio facta, laxationem, suspensionem aut alterationem patitur. Contra mutatio legis, si non plenariam destructionem, magnam tamen eius quoad vniuersos subdi-

(m) Fateor haec paululum obscura esse. Scilicet hoc vitium est nimiae subtilitatis, vt non exprimatur sine obscuritate.

(n) Etiam PYRRH. CORRADVS *prax. disp. L. I. C. III.* postquam inter varias dispensationis divisiones etiam hanc attulisset, quod alia *propria* sit, alia *impropria*, per impropriam dicit potius *licentiam* seu consensum quendam & approbationem superioris, per quam obligatio non relaxatur, quam veram *dispensationem*, intelligi.

ſubditos, immutationem atque alterationem infert. Huius mutationis tres aliae ſpecies afferri ſolent, *abrogatio*, *obrogatio* & *derogatio*, v. PLACCIVS *in inſtitt. concinnatis p. 29.* Sed quid per mediam ſpeciem PLACCIVS, ſubtilitatem magis, quam vtilitatem ſectatus, ſibi velit, vix diuinare licet.

Item ab interpretatione reſtrictiua.

§. XVI. Dico etiam: ab *interpretatione reſtrictiua, ſeu aequitate*, vbi ante omnia notandum, vulgo *aequitatem* & *interpretationem reſtrictiuam* promiſcue ſumi, ſed male: quandoquidem ſi accurate loquamur, etiam aequitas ipſa ab interpretatione reſtrictiua ſecerni debet. *Iſta* enim eſt ipſum iuris naturalis dictamen, quod leges recte explicare praecipit, ne quis praeter meritum incommodo adficiatur. (*o*) *Haec* autem eſt actus mentis legem recte interpretantis, aequitati tanquam fundamento ſuo ſuperſtructus. Deinde & id notandum, perperam a plerisque ſtatui, quod interpretatio iſthaec, ſuper aequitatis dictamine fundata, ſaltim *reſtrictiua* ſit, non vero & *extenſiua*. Videtur error iſte ex vulgari aequitatis definitione, quam GROTIVS ſuppeditauit, PVFENDORFFIVS retinuit, profluxiſſe, quaſi *aequitas* eſſet *correctio eius, in quo lex deficit ob uniuerſalitatem.* Inde enim putant, aequitatem in ſola reſtrictione legum generalium conſiſtere. Sed hoc falſum, cum, uti rectiſſime obſeruat WEBER *in notis ad Puſendorffium de O. H. & C. cap. II. §. 10.* pariter aequum ſit, verba legum nimis ſtricte loquentium *extendere* atque ita ſi legiſlator vetet exportare frumentum, extenſio etiam debeat fieri ad farinam. (*p*) Iam quod ad ipſam diſpenſatio-

C 2 nis

(*o*) Alias etiam *aequitas* pro *humanitate* & pro *regulis amoris* accipitur, quo caſu tamen *obligationem imperfectam* producit, nec iudex ex illa leges reſtringere poteſt. Sic debitor, qui fatetur debitum, ad ſolvendum cogitur, licet creditor ipſum per viam *executionis* omnibus bonis exuat, quod iudex impedire nequit, licet creditor regulas amoris violet, & aliquid iniqui agere videatur.

(*p*) WEBER *l. c.* etiam hoc perperam a quam plurimis fieri videtur, quod aequi-

nis ab hac interpretatione differentiam attinet, illa positis vtriusque definitionibus per se clara atque manifesta est. Scilicet dispensatio, vt audiuimus, infert mutationem voluntatis (dico *voluntatis*, non *legis*,) in legislatore. Interpretatio autem, quae fit per aequitatem, nulla in legislatore *voluntatis* mutatio est, sed tantum eius, quod vere voluit, declaratio. Per eam enim, vt PVFENDORFFIVS loquitur, ex naturali ratione ostenditur, casum aliquem peculiarem sub lege non comprehendi, eo quod alias absurdi vel iniqui quid inde foret consecuturum. Ita haud raro tam violentae occurrunt περιστάσεις, vt in iis legem seruare velle, sit in leges praecipuas peccare. (q) Igitur interpretatione opus est. Hanc vero cum dispensatione, vtut ab hac luculenter distinctam, multoties confundi, saltem olim a canonistis & scholasticis confusam fuisse, eruditi dudum conquesti sunt v. BECMANN. *medit polit. dissert. II. th. 12. in fin.* & C. ZIEGLERVS *de Iur. M. L. I C. VII. §. 3.* qui & ipse miratur, tam paucis eam differentiam esse obseruatam, ab aliis etiam non satis explicatam. Hodie tamen oculatiores esse solent, quiqui hoc argumentum pertractant, philosophi. Hos inter nuperrime demum celeber. DN. ROESLERVS, Professor Tubingensis, *in dissertat. de potestate imperantium legislatoria*, anno superiori edita, §. *VII.* eleganter admodum: *Neque vero*, inquit, *confundenda est dispensatio cum interpretatione secundum aequitatem: Illa ex parte tollit legem: haec dextre interpretatur; Illa personas certas eximit ab obligatione legis: haec*

aequitas ad solas leges referatur, cum tamen illa in contractibus quoque, imo in omnibus negotiis locum habeat. Itaque secundum illum aequitas sic describi debet, quod sit *medicina quaedam moralis, qua, quicquid in legibus & negotiis quibuscunque aliis iniquum est vel videtur, ex naturali ratione corrigitur.*

(q) Recte hinc L. Scipio, cum ad necessarium Reipublicae usum pecuniam ex aerario promi opus esset, idque quaestores, quia lex obstare videretur, aperire non auderent, priuatus claues poposcit, patefactoque aerario legem utilitati cedere coegit. VALER. MAXIM. *III. 7. 1.*

haec legem ad praesentem casum non pertinere ostendit: Illa ad iura, haec ad officia pertinet: Illa solius imperantis, haec iudicis cuiusuis est. Sicuti vero caetera maiestatis iura veluti ius sacrorum, ius iudicandi, ius extremae prouocationis, ius ipsum leges ferendi, ita & ius dispensandi per certa collegia exercere potest imperans, cuius nomine & auctoritate fit, quicquid ab istis collegiis circa negotia ipsis demandata suscipitur.

§. XVII. Dico denique *a restitutione in integrum.* Vt enim etiam ab hac dispensatio distinguatur, eo magis necesse est, quo maior eius in vtroque iure non cum dispensatione modo, sed & cum interpretatione restrictiua confusio occurrit. In genere definiri solet, quod sit *reductio in pristinum statum.* v. SCHVZ. *in compend. iuris L. IV. tit. 1.* Communissima diuisio est, quod alia sit *gratiae*, alia *iustitiae.* De vtraque quaestio est, quomodo a dispensatione discernatur. Itaque ad quaestionem propositam responsuri cum B. TITIO affirmamus, illam, quae dicitur *gratiae*, manifeste satis speciem dispensationis, adeoque iuris gentium, seu iuris nat. non vero Romani esse. B. TITIVS *in obseruat. ad comp. I. Lauterb. obs. CV. & seqq. & in iuris priuat. Romano Germ. L. 1. C. XVIII.* Secus pronunciandum fuerit de restitutione, quae dicitur *iustitiae*, quaeue conceditur iure ciuili 1. ob metum. 2. dolum. 3. aetatem. 4. absentiam similesue causas. 5. capitis deminutionem minimam. 6. alienationem, iudicii mutandi causa factam. Definitur haec, *quod sit reductio in pristinum statum iuris, quo quis vel reuera excidit, vel saltem excidisse videtur.* Haec vero cum dispensatione non coincidit, vt illa prior, quam *gratiae* vocauimus, sed ab eadem potius eo ipso differt, quod non *gratiae* esse dicitur, sed *iustitiae.* Conuenit tamen etiam cum dispensatione, eo quod de hac non minus participat, quam de interpretatione.

Denique a restitutione in integrum.

Huius definitio & diuisio.

Alia dicitur esse gratiae, alia iustitiae.

§. XVIII. Nempe redolet istud restitutionis inventum corruptionem fori Romani, nec extra illud facile apud alias gentes reperitur. Dicitur alias *remedium iuris extraordinarium* a praetore contra rigorem iuris in gratiam laesorum conditum, id quod verum est, quatenus cum peculiari forma

Conflata est haec restitutio ex dispensatione & interpretatione.

ma sua spectatur. Interim illa multum irregularitatis in se continet. Reuera enim sub illo restitutionis nomine coniunguntur actus plane diuersi ac distincti, *interpretatio*, quam iudex & interpres facere debet, & *dispensatio*, quae ad iura imperantis originarie pertinet, id quod exemplo quodam facile intelligetur. Si quis vi iniusta ad promittendum adigatur, is reuera non est obligatus, nec ex pristino libertatis statu excidit, hinc simplici *interpretatione* ostenditur, quod casus ille sub lege non comprehendatur. Verum si quis fatalia processus elabi passus sit, ille reuera ius suum amisit, adeoque ei non aliter, quam imperantis *dispensatione* succurri posse videtur, vtrumque tamen remedium *restitutio* promiscue dicitur.

exemplum.

Est ergo irregulare quid.

§. XIX. Patet, quam difficile sit, eius a dispensatione discrimen praecisius designare. Dum enim ipsa ex dispensatione & interpretatione conflata est, nunc vtique pro casuum diuersitate magis accedit ad dispensationem, nunc vero etiam magis ad interpretationem. Deinceps, quatenus interpretationi opponitur, dicenda est cum dispensatione coincidere, sed & ab hac differre, quatenus coincidit cum interpretatione. Verbo: *restitutio* est irregulare quid, &, ut ita dicam, biceps iuris monstrum. Conflatur ea ex *dispensatione* & hactenus cum hac coincidit, & *interpretatione*, & eatenus ab ista differt. Plus ergo in sinu suo comprehendit, quam vel simplex dispensatio, vel & simplex interpretatio. Vterque enim hic actus compactus & coniunctus unius restitutionis nomine a praetore fuit insignitus. Pro diverso respectu dicitur illa competere vel majoribus saltim magistratibus, vel & minoribus; maioribus quidem, prout dispensationi, minoribus, prout interpretationi propior est. Optime hinc B. TITIVS *I. priu. L. I. C. XVIII.* §. *10. Hodie*, inquit, *omnes Magistratus, qui habent iurisdictionem ciuilem, restituere posse dicuntur, modo sint competentes vel in genere, ob domicilium rei, vel saltim ratione causae controuersae. Verum & hic restitutionis differentia est obseruanda. Nam si eadem dispensationis rationem habeat, vt si contra elapsum fatale, aut totum processum*

cessum illa sit concedenda, tum magistratus subalterni eam merito omittere debent, nisi forte casus in iure ciuili sunt expressi, adeoque eorum intuitu facultas restituendi ipsis implicite concessa. Liquet ergo ex dictis, *restitutionis* auxilium magistratui subalterno per leges esse concessum, qui alias *dispensare* perviam *gratiae* nequit, vtpote quam soli imperantes sibi referuarunt. Proinde restitutio ad terminos iuris est restricta, quos excedere magistratus nequit: liberior est dispensatio, quam princeps indulget, qui legum est arbiter & moderator.

CAP. II.

DE

HISTORIA ET FATIS DISPENSATIONVM IN IVRE ECCLESIASTICO TAM VETERI, QVAM NOVO.

CONSPECTVS.

SVmma dicendorum in Cap. II. §. 1. *Origo dispensationum, quae est vel vocis, vel rei.* §. 2.
Exempla dispensationum e sacris literis petitarum. §. 3.
Diuersa facies dispensationum antiquarum a modernis per quinque secula priora. §. 4. *seqq.*
Differentia prima: olim dispensationes erant perrarae. §. 5.
Differentia secunda: olim non tam a pontifice Romano, quam ab Episcopis in genere, imo tota Ecclesia concedebantur. §. 6. & 7.
Testimonia de consensu plebis olim ad dispensationes necessario. § *iisdem.*
Differentia tertia: olim nunquam dabatur venia Canonis infringendi, sed tantum infracti atque violati. §. 8.
Differentia quarta: olim dispensationes longe alius generis erant, siue materiam, siue formam spectes. §. 9.
Notandum hoc contra pontificios recentiores, dispensationem abusus antiquarum exemplis colorare studentes. §. 10.
Adducuntur speciminis ergo exempla dispensationum ex Petro de Marca, Thomassino & Florente. §. *eodem.*
Scilicet antiquae dispensationes potius

§. I.

§. I.

Summa dicendorum in Cap. II.

OMiſſis, quae vlterius hic dici poſſent, praeſertim de ſynonymis diſpenſationis, quorſum indulgentiae, clementiae, humanitatis, beneficii, beneuolentiae, relaxationis, lenitatis, moderationis, auxilii, fauoris, remiſſionis, gratiae &c. vocabula ex vtroque iure referuntur a SCHROETERO *l. cit. ſect. I.* iam ad fata diſpenſationum ex hiſtoria & iure eccleſiaſtico vberius euoluenda pergimus. Quid iure Romano circa diſpenſationes obtineat, dedimus modo capite ſuperiori explanatum. Pes itaque nunc etiam in ius canonicum eſt transferendus. Heic vero cum pro diuerſitate ſeculorum diuerſam iterum diſpenſationum faciem deprehendamus, breuiter & neruoſe omnia dicturi hunc ordinem obſeruabimus, vt (I) quid de origine diſpenſationum canoniſtae fabulentur, attingamus: (II) quae diſpenſationum facies inprimis V. ſeculis obtinuerit, delineemus: (III) quomodo iſtae a prima ſua indole vsque ad ſeculum XI. paulatim degenerauerint, oſtendamus: (IV) quantus tandem vsque ad tempora reformationis diſpenſationum abuſus inualuerit, & ad quem vsque apicem pontificum Rom. audacia progreſſa fuerit, adductis quibusdam papalium diſpenſationum exemplis, declaremus. Denique (V) conſiderata pauliſper praeſenti eccleſiae Romanæ facie, doctrinam proteſtantium hodiernam, eamque veriorem, ſubnectamus.

Origo diſpenſationum, quae eſt, vel vocis, vel rei.

§. II. Et quantum quidem ad originem diſpenſationum attinet, ea vel *vocis* eſt, vel *rei ipſius*. Vocabulum *diſpenſationis*, (*a*) quod ex iure canonico pedetentim etiam ad fora ſaecula-

D

(*a*) Sine dubio hodiernus huius vocabuli ſignificatus antiquiſſimae Bibliorum verſioni, in qua vox οἰκονομία per diſpenſationem, οἰκονόμος per diſpenſatorem verti ſolet *1. Cor. IV. 1.* debetur. Caeterum voces indulgentiae, remiſſionis, veniae, diſpoſitionis &c. promiſcue ab antiquis uſurpatae ſunt. Quin & hodienum canoniſtis ſolenne eſt, diſpenſationes etiam exemtionum & priuilegiorum vocabulis inſignire. V. FR. FLORENS *Opp. Tom. I. p. 262.*

cularia transiit, sua equidem vi & virtute natiua longe aliud quid significat, quam istam *a lege exemtionem*. Antiquissimus tamen hic, quem nunc obtinet, licet peregrinus atque adscititius, eiusdem significatus est. Quod enim graeci per συγγνώμην, συγχώρησιν, καταβασιν, συγκατάβασιν & maxime per οἰκονομίας, vocem ipsis familiarissimam, innuerunt, id latini voce *dispensationis*, iam inde a primis saeculis adoptata, exprimere consueuerunt. Sed facilia haec sunt & proletaria. Maioris momenti inquisitio est, quae in ipsam *rei* originem restat. In hac vero inuestiganda inter canonum interpretes nonnulli ad paradisum vsque regrediuntur. Ita enim PYRRHVS CORRADVS *in praxi dispensat. l. I. cap. II.* eius natales iam inde a Dei, cum Adamo & Eua circa poenas peccato promeritas benignissime dispensantis, exemplo repetit, mox & ad dispensationes Dei cum Noacho eiusque filiis, Abrahamo, Iacobo, totoque genere humano, quatenus cum hoc per interuentum Christi dispensatum fuit, prouocans. Sed nimia haec est CORRADI diligentia. Vt enim de exemplis allatis sententiam haud dicamus, nobis certe de absoluta dispensationum origine sermo non est. Neque etiam de illarum iustitia & aequitate loquimur. Haec enim vtique cum ipsa *leges ferendi potestate* coepit, siquidem omnino iustitiae & aequitatis natura postulant, vt insuper habita stricti iuris ratione, oporteat haud raro συγκαταβάσει vti & vni alteriue legis, cui alias obnoxius est, obligationem relaxare. Sed quaeritur potius de *origine dispensationum ecclesiastica* & *canonica*, quam vtique non ante primordia christianismi quaeritare licet. Itaque sunt, qui, vt SCHROETERVS *differt. cit. sect. II.* notat, hanc ipsam in decantatissimis illis Seruatoris verbis ad Petrum: *dabo tibi claues* &c. pronunciatis, fundatam putant, ad clauem *soluendi* etiam potestatem dispensandi reuocantes. Sunt etiam, qui ad locum *2. Cor. II.* prouocant, vbi Paulus de condonationibus a se Corinthiis in persona Christi factis loquitur, has ipsas *condonationes* nil nisi dispensationes fuisse rati. Verum vt taceamus, ipsum ex Pontificiis DVRANDVM *ad 4. sentent. dist. 20.* & ANTONIVM *part. I. tit. 10.* diserte fateri, quod nemo ex antiquis doctoribus hos textus ita expo-

sue-

fuerit, certe interpretatio dicti primi a pontificiis, *claues* Petri in *gladios*, & potestatem *docendi* in potestatem dominandi conuertentibus, plane peruersa est. (*b*) Sed & alter locus nimium obscurus est, quam vt clari quicquam pro dispensationibus inde elicueris.

Exempla dispensationum e sacris literis petitarum.

§. III. FRANC. FLORENS, superiori seculo celeberrimus iuris canonici inter Gallos interpres, & ipse etiam originem dispensationum ex sacris literis deriuat. Idem vero non tam ad dicta & mandata, quam ad exempla prouocare audet. In factis enim Christi & Apostolorum earum originem is se reperisse putat. Ita Christus ipsi *dispensasse* dicitur, quando discipulis, quibus ad opus praedicationis missis pera & sacco interdixerat, imminente passionis tempore vtrumque, & peram & saccum, restituit. Pariter inter dispensationes numerat, cum Paulus Timotheum Lystris circumcidi passus est, qui idem tamen alio tempore circumcisionem Tito prohibuerat; Sic & factum Petri *ad Gal. II.* ob quod a Paulo obiurgabatur, ab eodem inter dispensationes refertur, quanquam inutiles & intempestiuas. FRANC. FLORENS. *operum T. I. p. 317. seqq.* Verum enim vero, vtut concedamus, quod ipsi determinare non audemus, ista Christi & Apostolorum facta inter veri nominis *dispensationes* pertinere, id profecto tamen mox ex ipsis hisce originariis primaeuisque dispensationibus patet, quod nimium quantum ab exemplaribus suis desciuerint sequiorum temporum dispensationes. Patebit hoc vlterius, si iam ad ipsa prima christianismi secula progrediamur, sique nunc (II) quae dispensationum facies in primis V. seculis obtinuerit, delineemus.

Diuersa facies dispensationum antiquarum a modernis per quinque saecula priora.

§. IV. Enimuero id dum facere aggredimur, quam diuersa, obsecro, rerum primaeuarum facies ab ista sequiorum temporum corruptela nobis se obuertit! Complura certe integra effluxere secula, antequam vel vllum *dispensationis* a pontifice Rom. solitaria ac praeeminenti quadam auctori-

D 2 tate

(*b*) Vide quae super hunc locum commentatur DN. PRAESES *in differt. iuris eccles. antiqui ad Plinium II. differt. III.*

tate factae vestigium apparet. Equidem iuris *dispensandi* exercitium in ipsa quoque ecclesiae infantia viguisse, dubium est nullum. Neque enim ecclesiae disciplina, quae ab apostolorum tempore iam firmata & fundata fuit, sine omni dispensationis temperamento feliciter exerceri potuisset. At vero si dispensationis ecclesiae primitivae ad sequiorum temporum & praesentes quoque seculi mores componantur, toto vbique caelo a dispensationibus illae hodiernis differunt, ita, vt nomen quidem hodie supersit, rei autem paritas dudum euanuerit. Agnoscit id testis omni exceptione maior PETRVS de MARCA, olim archiepiscopus Parisiensis. Vix enim ille in famoso opere *de concordia sacerdotii & imperii L. III. Cap. XIII. XIV. & XV.* de dispensationibus tractare incipit, cum mox *Cap. XIII.* §. *2.* veritatis radiis perstrictus, *attamen*, inquit, *etsi vocibus antiquis vtamur hodie, magnum intercedit discrimen inter mores antiquos & nostros, cum maiores nostri seuerius & accuratius disciplinam canonum colerent, quae apud nos remissius & humanius tractatur. Haec autem est summa differentia, vt mihi videtur, quod apud veteres nunquam daretur venia canonis infringendi, sed infracti & violati poena ob grauissimas causas aliquando remitteretur, hodie vero legum canonicarum venia in antecessum concedatur.*

Differentia prima: olim dispensationes erant perrarae.

§. V. Consistit autem *antiquarum dispensationum* ab hodiernis differentia potissimum in eo I.) quod antiquitus illae perrarae fuerit. Neque enim nisi ob vrgentissimam *necessitatem*, (c) vel & ob euidentissimam ecclesiae *vtilitatem* indulgebantur. Et ex tribus quidem primis seculis nulla prorsus dispen-

(c) Necessitas, vt *Seneca* alicubi, magnum humanae imbecillitatis patrocinium, omnem legem frangit. Eodem itaque necessitatis telo coacti patres disciplinam, quam alias intemeratam seruare allaborabant, saepenumero relaxare tenebantur. Ideoque etiam PETRVS de MARCA *l. cit.* §. *4.* *Sane*, ait, *haec venia necessaria visa est antiquis patribus, ne tristitia poenae diuturnioris in desperationem adduceret poenitentes, vt monet* BASILIVS; *Ita enim duris*

diſpenſationum veſtigia ſuperſunt, non quod tales nunquam extiterint, ſed quod iſtorum temporum hiſtoria infelix quoddam naufragium perpeſſa ſit. (*d*) Praeparcos tamen in diſpenſando fuiſſe primitiuos patres, iam quarti ſeculi hiſtoria edocet, oſtendens, epiſcopos tum viventes canonum longe obſeruantiſſimos fuiſſe. Quin & ipſos Pontifices Romanos praecipuam quandam in ſancta canonum obſeruantia laudem ſectatos eſſe, teſtatur MARTINVS I. papa, cum *epiſt. 5. defenſores*, inquit, *diuinorum canonum & cuſtodes ſumus, non praeuaricatores.*

§. VI. Secunda e potioribus differentia haec eſt, quod antiquae diſpenſationes non tam a *Pontifice Romano*, quam ab omnibus promiſcue *Epiſcopis*, quin etiam ab ipſa *plebe* datae fuerint. Epiſcopi certe aequaliter omnes facultatem diſpenſandi, nulla a pontifice Romano dependentia, ſed *ordinaria* potius *poteſtate proprioque iure* exercebant. Atque haec eximia veritas tam luculentos in hiſtoria eccleſiaſtica radios ſpargit, vt contra ſolem pugnet, quisquis eam in dubium vocare auſit. Quare etiam L. THOMASSINVS, famigeratiſſimus ille diſciplinae eccleſiaſticae inueſtigator, ſine vlla haeſitatione in haec erumpit verba: *Ne ambigi quidem illud a quoquam poteſt, quin primi & ſecundi adeoque & tertii etiam ſeculi*

Differentia ſecunda: olim non tam a pontifice Romano, quam ab Epiſcopis in genere, imo etiam plebe totaque Eccleſia concedebantur.

D 3.

duris poenitentiae laboribus premebantur, vt ad Saracenos aliquando deficerent, ſicut docuit ZONARAS, *vel etiam paganos in occidente, vt Rodolphus Bituricenſis archiepiſcopus monuit* NICOLAVM, *qui ſecundum Canones modum poenitentiae minuendae illi committit.* V. NICOLAVS *epiſt. ad* RODOLPHVM *in append.* HINCMARI. *Pariſiens edit. & tom. III. Concil. Gall.*

(*d*) Ipſe LVDOV. THOMASSINVS omnem ſeculorum ſeriem emenſus, vt accuratam diſpenſationum hiſtoriam daret, vltra papam SYRICIVM, quem a. Chriſti 385. ſede Romana potitum eſſe conſtat, aſcendere non audet. Hinc *P. II. C. III. C. 24. §. 3. Quicquid*, ait, *decretalium epiſtolarum ante Syricium papam ab apoſtolica ſede manauerat, id totum iam naufragio temporum abſorptum fuerat, cum ex conciliorum ſanctionibus & Romanorum pontificum decretis Dionyſius exiguus ſuum Eccleſiae Romanae codicem contexuit.*

feculi epifcopi canones apoftolicos & decreta eius relaxarint, vbi publica iubebat neceffitas, nullo pontifice Romano, nullo interueniente concilio prouinciali, quippe cum acerbitas perfecutionum nec cum fede Petri communicare confilia fere fineret, (e) *nec Epifcopos alios adiri, nec concilia celebrari prouincialia.* Enimuero, non Epifcopi modo, fed, vt diximus, ipfa etiam PLEBS ad difpenfandi exercitium iure quodam fuo concurrebat. Vti enim olim vi *confoederatae Chriftianorum difciplinae* omnia, quae totam ecclefiam concernebant, negotia, eius nomine quoque expediebantur: (f) ita etiam facultas *difpenfandi* in primorum feculorum triga non penes Epifcopos modo, fed & penes totam ecclefiam, nedum penes folum pontificem Romanum erat. Facile huic afferto fidem adhibebit, qui rerum antiquarum peritia floret. Refpiciamus modo praxin, adhuc tempore CYPRIANI vfitatam. Quanta vero tum plebis libertas, quantusque

(e) Quae eft Romanae aulae affentatorum indoles, vt etiam contra ipfius veritatis lucem pontifici Romano quomodocunque adulari tentent, ea & hic in THOMASSINO fefe prodit. Haec vltima enim verba, in quibus vfurpatam ab Epifcopis difpenfandi poteftatem in temporum illorum iniuriam coniicit, in Papae gratiam confingenda erant, ne fc. crabrones irritarentur.

(f) Fluebat hoc, vt dixi, ex *confoederata* veterum chriftianorum *difciplina.* Vti enim haec communi pacto atque foedere firmata erat, ita & communis omnium ad omnia negotia confenfus requirebatur. Nimirum eft haec collegiorum aequalium natura, vt omnes res & caufae ab omnibus iudicari debeant. Inde etiam erat, quod *excommunicatio* olim nonnifi cum fuffragio & confenfu *plebis* fieret. Quemadmodum vero *eiectio* & *excommunicatio*, ita etiam *receptio*, quae erat *difpenfatio* circa excommunicationis poenam, *plebe* itidem confentiente peragebatur. Quod & vlterius exinde patet, quod iftiusmodi *receptio* non minus, quam *eiectio* per modum *iudicii* expediebatur, tefte TERTVLLIANO *Apolog. C. 39.* Quis vero nefcit, iudicia ecclefiaftica in primis feculis non tantum ex Epifcopis & presbyteris, fed etiam ex *fidelibus ftantibus* conftitiffe? *vid. Magnif.* DN. PRAESES *in differt. ad Plinium fecundum differt. III.*

rusque huic honor seruatus fuerit, constat ex *epistola 14.* CYPRIANI, de semet ipso scribentis: *A primordio Episcopatus mei statui nihil sine consilio vestro & sine consensu PLEBIS, mea priuatim sententia, gerere.* Et rursus *epist. 19.* *Hoc*, scribit, *& verecundiae & disciplinae & vitae ipsi omnium nostrum conuenit, vt Episcopi plures in vnum conuenientes, praesente & stantium PLEBE, quibus & ipsis pro fide & timore suo honor habendus est, disponere omnia consilii communis religione possemus.* Et haec quidem de auctoritate plebis *in genere.* Iam si ad *negotium dispensandi speciatim* attendamus, & hic quoque magnas *plebis* partes fuisse, oppido liquet. Inde enim CYPRIANVS *epist. 64.* reprehendit factum THERAPII, quod VICTORI presbytero immaturo tempore & praepropera festinatione pacem dederit. *Quae res*, ait, *nos satis mouit, recessum esse a decreti nostri auctoritate, vt ante legitimum & plenum tempus satisfactionis & sine petitis & conscientia PLEBIS, nulla infirmitate vrgente, & necessitate cogente, pax ei concederetur.* Ne vero quisquam putet, peculiarem hanc plebis Carthaginensis praerogatiuam, nec communem totius Ecclesiae obseruantiam fuisse, iuuabit exemplum etiam ab ipsa Romana petere Ecclesia. CORNELIVS MARTYR, Episcopus Romae factus a. 254. literis ad CYPRIANVM scriptis de quibusdam confessoribus, qui Nouatiani partes contra Cornelium, legitime electum, susceperant, atque ideo ab Ecclesia discesserant, agens, vbi de eorum receptione loquitur, rem ita refert: *Omni actu ad me perlato, placuit contrahi presbyterium. Adfuerunt etiam Episcopi quinque, qui & hodie praesentes fuerunt, vt firmato consilio, quid circa personam eorum obseruari deberet, consensu omnium statueretur & vt motum omnium & consilium singulorum dignosceres, etiam sententias nostras placuit in notitiam vestri proferri, quas & subiectas leges. His ita gestis in presbyterium venerunt, Maximus, Vrbanus, Sidonius, Marcarius & plerique fratres, qui se eis adiunxerant, summis precibus desiderantes, vt ea, quae ante fuerant gesta, in obliuionem cederent, nullaque eorum mentio haberetur. Proinde, atque si nihil esset vel commissum vel delictum, inuicem omnibus remissis, cor mundum atque purum iam Deo exhiberent;* sequen-

sequentes Euangelicam vocem dicentem: beatos esse puros corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Quod erat consequens, omnis hic actus populo fuerat insinuandus vt & ipsos viderent in Ecclesia constitutos, quos errantes & palabundos iam diu viderant & dolebant. Quorum VOLVNTATE COGNITA, magnus fraternitatis concursus factus est. vid. *epist. 49.* CYPRIANI, ex quo ipso adhuc longe plura testimonia afferri possent. Conf. quae leguntur in Magnif. DN PRAESIDIS *dissert. iuris eccles. antiqui ad Plinium secundum dissert. III. art. VIII. p. 149. seqq.* Eo autem prolixioribus nobis esse in declaranda ex antiquitate hac de PLEBIS concursu assertione, necesse fuit, quo consuetius est veteris disciplinae scriptoribus, inprimis pontificiis, haec celare. Et mirandum certe, neque PETRVM de MARCA, neque THOMASSINVM, *aliumue*, haec populi iura vindicasse. Facile tamen rationes silentii assequetur, qui norit, scriptores Gallicanos id saltem sibi propositum habere, vt pontificum Romanorum auctoritate imminuta, Episcoporum iura ex antiquitate amplient, de plebe vero eiusque iuribus ac libertatibus vt sileant, proprio interesse communibusque cum papa commodis induci. Notandum hoc ob PETRVM de MARCA, THOMASSINVM, DVPINIVM, aliosque, quorum placita in sequentibus haud raro in partes tracturi sumus, vt ita iusta statim de ipsis idea praeparati, condignum eorum testimoniis vbique pretium statuamus.

Exempla dispensationum ab Episcopis proprio iure concessarum.

§. VII. Tria itaque saecula elapsa sunt, quibus potestas dispensandi tum *Episcopis* ex aequo singulis, tum *plebi* quoque ipsi, salua & illaesa manserat. De *plebe* §. antecedenti sufficienter actum. De *Episcopis* vero res extra omnem dubitationis aleam posita est. Facile nobis foret, exemplis quamplurimis (g) id roborare, sed & hisce facile caremus, vbi ponti-

(g) Vt vel vnicum tamen Episcoporum, etiam papa non consulto, dispensantium, exemplum allegemus, euoluamus, quae ANTONIVS de DOMINIS *in de Rep. eccles. P. I. L. II. c. 2. p. 332.* in hoc argumentum disserit. Ibi enim videas potestatem dispensandi in voto & professione castitatis

tificios ipsos habemus confitentes. Pedem igitur mouemus ad secula *quartum* & *quintum*. In his vero magis magisque *dispensandi facultatem* sibi arrogarunt episcopi, exclusa penitus ecclesia, eiusque libertate pedetentim supplantata. Ita enim *loc. cit.* THOMASSINVS pergit: *Cum ergo hactenus Episcopi fere soli & singuli omnia dispensassent, vbi primum desinente seculo III. frequentari coepere concilia in prouinciis singulis, tunc Episcopis ipsis consultum visum est, vt ad illa referretur pro dispensationibus ponderandis.* Ab Episcopis ergo ius dispensandi non ad Papam Romanum, sed ad *concilia*, & quidem *prouincialia*, translatum est. Quod tamen non ita intelligendum, quasi Episcopi isto iure tum plane exuti atque orbati fuissent. Quin vero hanc singulis, ipso fatente MARCA *L. III. c. XIII. §. 3.* Episcopis facultatem Nicaena synodus indulsit, vt etsi quatuor poenitentiae laboriosissimi gradus per aliquot annos subeundi essent iis, qui criminibus a canone vetitis se obstrinxissent, liberum tamen esset Episcopis, poenarum partem remittere illis, qui rebus ipsis conuersionem atque poenitentiam suam probauissent. V. SYNOD. NICAEN. *c. 12.* Gemella discimus ex Synodo Ancyrana, cuius *cap. 2. can. 5.* haec leguntur verba: *Penes Episcopos erit potestas; modum conuersionis eorum* (poenitentium) *probantes, vel humanius erga eos agere, vel amplius tempus adiicere.* &c.

§. VIII. Tertia priscarum dispensationum a sequioribus differentia, quam & ipse MARCA, vt § XX. audiuimus, sum-

Differentia tertia: olim nunquam dabatur venia Canonis infringendi, sed tantum infracti atque violati.

E

tatis Episcopis quibuscunque etiam absque Romani pontificis aut ipsius poenitentiariae rescriptis, asseri exemplo CYPRIANI *L. I. Epist. 11.* qui & ipse sacris virginibus in periculo incontinentiae coniugium concessit. Conferamus cum his, quae idem *Archiepiscopus Spalatinus L. III. c. 9. p. 470.* de antiqua metropolitanorum potestate commentatur. Inprimis vero etiam huc commendari meretur LVD. EL. DVPINI *aureus de antiqua ecclesiast. disciplina* liber, potissimum *Cap. XII. & XIII.* dissertationis I. vbi de iure & priuilegiis metropolitanorum nec non patriarcharum agitur.

summam vocat primariamve, in eo consistit, quod apud veteres nunquam daretur venia canonis *infringendi*, sed tantum *infracti* & *violati* poena ob grauissimas causas aliquando remitteretur. En vero ingens, quod inter hasce dispensationes interiacet, discrimen! Est illud ipsum, quod non MARCA modo, sed & THOMASSINVS centies inculcat. Et MARCA quidem praeter modo allegata mox iterum C. XIV. §. 15. *Caeterum*, inquit, *repetendum est, quod initio adnotaui, nullum NB. edi posse testimonium quo doceatur, a veteribus veniam INFRINGENDI canonis alicui collatam fuisse, sed tantum INFRACTI.* THOMASSINVS vero *L. III. c. XXIV. n. 20. Nec illud*, ait, *oscitanter praetereundum, quod alii iam praemonuerunt, concessas tum fuisse eas dispensationes omnes, postquam peccatum iam fuerat in canones, & quando emendatio & poena luctuosior esse ecclesiae ipsi poterat, quam ipsum peccatum. Contra autem emollita iam & languescente disciplina posterioribus his seculis venia expetitur violandorum canonum, peccandi in sacras regulas licentia flagitatur & conceditur.* &c.

Differentia quarta: olim dispensationes longe alius indolis erant, siue materiam spectes, siue formam.

§. IX. Superest ultima earum, quas ex compluribus aliis selegimus, differentia. Nimirum vti perrarae olim dispensationes fuerant, ita & earumdem natura atque indoles vtplurimum longe aliena fuit ab indole & natura modernarum. Hoc si probare oporteat, inspiciamus & ponderemus modo, quae vel THOMASSINVS, vel MARCA, vel FLORENS, aliiue ex antiquitate afferunt exempla. Namque sic perspicuum euadet, quod quae olim promiscue (*b*) inter dispensationes relata fuere acta & facta Episcoporum, illa hodie nec ab ipsis pontificiis stylo curiali inter eas referantur, saltim pleraque, nisi datam definitionem velimus immutare, inter eas proprie referri nequeant. Ita inter dispensationum specimina a FLORENTE *loc. cit.* refertur illa orthodoxorum humanitas, qua seculo quarto

(*b*) Illa igitur, quae & hodienum in vtroque iure regnat terminorum ambiguitas & confusio, iam olim quoque inter patres primitiuos circa dispensationis vocabulum regnauit.

to & quinto Episcopos & Presbyteros Arianismi non minus, quam Donatismi labe, ingenti numero, infectos non modo in communionem fidei recepere, sed & in societate regiminis & clericatus pristini honore eosdem reliquerunt Ita & ANASTASIVS Papa, interpellatus ab Episcopis Afris, vt Presbyteri caeterique clerici, a DONATI partibus ad ecclesiam catholicam se conferentes, ordinibus dignitatibusque suis permitterentur, cum petitioni huic annuisset, seque cum Italis suis ad ecclesiae necessitates accommodasset, propterea THOMASSINO dicitur dispensasse *L. III. C. XXIV. §. 5.*

§. X. Notandum hoc inprimis contra Romanenses, qui aulae Romanae frigidam suffusuri, ad colorandam modernarum dispensationum frequentiam, pluscula illarum exempla ex prima antiquitate anxie corradunt. Verum non obtinent illi, quod intendunt. Ista enim, quae ipsimet afferunt, specimina, ad hodierna prorsus non quadrant. Certe CONNIVENTIAE potius ac DISSIMVLATIONIS, quam verae dispensationis species sunt dispositiones istae, quae tanquam a pontificibus Romanis peculiari auctoritatis praerogatiua factae adducuntur. Nolumus iam in spatiosum historiarum campum euagari, vno tamen alteroue exemplo rem iuuabit illustrasse. *Primum* mutuabimur a PETRO de MARCA. Est autem illud exemplum FLAVIANI Episcopi Constantinopolitani. Huic quod contra canones vitiose ordinatus fuerat, DAMASVS tum pontifex Romanus, cum ecclesia occidentali communionem denegarat. At cum FLAVIANVS studio IOANNIS CHRYSOSTOMI & THEOPHILI ALEXANDRINI (*i*) non minus, quam ipsius imperatoris THEODOSII interpositione, DAMASO reconciliaretur, iam dispensationem hic a DAMASO factam fuisse, Romanensis fingit. Eiusdem commatis sunt, quae de ANATOLIO, Flauiani successore, & MA-

Notandum hoc contra pontificios recentiores, dispensationum abusus antiquarum exemplis colorare studentes.

Adducuntur speciminis ergo exempla dispensationum ex Petro de Marca, Thomassino & Florente.

 XIMO

(*i*) Memoratu digna sunt THEOPHILI Alexandri verba, quibus referente SOCRATE *Hist. L. V. C. 15.* a pontifice Rom. contendit, *vt propter populi misericordiam vitium ordinationis NB. DISSIMVLARET.* Ita enim habet versio PETRI de MARCA loco mox allegato.

XIMO, Episcopo Antiocheno, quorum vterque etiam contra canones ordinatus fuerat, ibidem enarrantur. *Alterum* inter plura THOMASSINVS suppeditat, quando *loc. cit.* §. 8. *de* INNOCENTIO I. memorat, quando Macedoniae Episcopis responderit, *posse omnino ipsos ex venia & humanitate admittere ad functiones ordinum suorum eos, quos Bonosus ordinasset, ne Schismati ingruenti ianua panderetur.*

Scilicet antiquae dispensationes potius tolerantia, dissimulatio & conniuentia dicenda erant.

§. XI. Ecquis vero non primo statim intuitu deprehendat, tum quod olim longe aliud quid *dispensationum* nomine venerit, ac hodie, tum etiam, quod ex hisce factis pontificum nihil contra nos lucrentur sedis Romanae adulatores? Prius, vt §. XX. ostendimus, fatetur ipse MARCA, posterius autem non potest non fluere ex priori. Quodsi enim antiquis tantum vocibus vtimur, nostrique seculi dispensationes ab istis pristinis tantopere abhorrent, quid, quaeso, dispensationibus papalibus modernis firmamenti accedere poterit ex priscis? vt vero dicamus, quod res est, equidem ista, quae modo adduximus, & quibuscum pontificii alias superbire solent, primorum pontificum facinora inter veri generis dispensationes locum haud merentur. Sane enim, quemadmodum in seculis primitiuae Ecclesiae summa inter ecclesias & Episcopos aequalitas erat, CYPRIANO tantopere laudata, ita tota huius dispensationis ratio in *tolerantia*, in *dissimulatione* & *conniuentia* consistebat. Reuera igitur nihil aliud fuerunt, quam *conciliationes* ad preces Episcoporum orientalium amicas consecutae, cum alias ex denegatione communionis schismata fuissent metuenda. Illud quidem obstare posset, quod dum Episcopi Romani minus canonice ordinatis communionem suam indulsere, in eo saltim dispensasse & veniam eisdem dedisse videntur; sed *aliud* est *remittere* ius suum seu actionem contra aliquem, quod & a pari fieri potest, *aliud est dispensare.* Prius quidem factum esse afferitur in historia ecclesiastica, non vero posterius. Sicuti enim alteri in alterum nullum imperium competebat, ita tolerantia talis proprie dictam speciem dispensationis, quae a potestate legislatoria dependet, nequaquam constituit. Confer, quae, Magnifi-

gnificus DOMINVS PRAESES iam olim *in obseruationibus selectis* ad PETRI de MARCA *L. III. cap. XIII. obseruat. 9.* commentatus est.

Facies dispensationum post Epocham quinque secularem usque ad seculum XI.

§. XII. Sed redeundum in viam, iamque lustrata Epocha quinque seculari (*k*) nunc (III) etiam ad seculum XI. usque ostendendum, quomodo dispensandi ratio a prima sua indole paulatim degenerauit. Notatu digna sunt verba THOMASSINI, *loc. cit. c. XXIV. §. 14.* leguntur. Ita autem ille: *Ea primum disciplinae innouatio facta est desinente tertio & ineunte quarto seculo &c.* Per hanc primam innouationem THOMASSINVS illam iuris dispensandi ab Episcopis ad concilia prouincialia translationem innuit. Vti enim supra iam percepimus, augescente Christianorum & Episcoporum numero potestas dispensandi seculo IV. & V. ab Episcopis, quos inter iurgia & dissidia saepe excitabantur, & plebe, ad concilia prouincialia deuoluebatur. Neque tamen penes haec diu permansit, sed mox, vt THOMASSINVS *loc. cit.* pergit: *Iisdem porro caussis obrepsit & innouatio alia postea, pedetentim similiter & inopine & temporis mora prolixiore, vbi eadem dispensationum potestas vel potestatis potius explicatio a conciliis prouincialibus NB. ad sedem apostolicam traducta est.*

Primus corruptionis qua disciplinam dispensandi fons fuit violentia paparum, ius dispensandi ad se trahentium.

Huius violentiae fulcrum & fomentum fuit ruina imperii in occidente.

§. XIII. Habemus hic primum & praecipuum corruptionis ecclesiasticae, qua disciplinam dispensandi, fundamentum. Scilicet ex quo potestas dispensandi ad praesules Romanos traducta est, ex eo etiam corruptioni & abusibus patere coepit. Traductio seu translatio autem ista ad hanc potissimum aetatem reiicienda venit, qua pontifices Romani caput erigere & pomoeria sua iam latius distendere inchoarunt. Accidit id post seculum inprimis quintum. Quanquam

(*k*) Quinque secula periodo huic assignauimus, non quod eiusmodi mutatio, quae sensim sensimque, & ad instar morbi clanculum serpentis, incrementa sumsit, in certum determinatumque temporis articulum coniici possit, sed quod tamen valde probabile sit, isto circiter aevo disciplinae ecclesiasticae corruptionem primordia sua concepisse, iamque sensibilem aliquam mutationem subiisse.

quam enim spiritus papalis iam antea quoque suam dominandi cupidinem haud obscuris indiciis prodidisset, Romanusque praesul ab urbe Roma, quae toti orbi imperare consueuerat, nullam citius, quam imperandi consuetudinem induisset: ille tamen tum demum solidum quoddam ambitionis suae pabulum & fomentum nactus est, cum sub occasum & interitum imperii occidentalis caesarei exarchatus seu negligentiam seu oppressionem (*l*) in superbiae suae firmamenta ipsi trahere licebat. Tum enim & dispensandi iura sibi soli arrogare, quae vero Episcopis reliquerat, tanquam sibi & gratiae suae accepta ferenda, intimare coepit. Pertinent huc complura, quae ex seculo VI. a THOMASSINO adducuntur, dispensationum exempla.

De exarchatu Romano.

Specialior consideratio seculorum VII. VIII. IX. & X.

§. XIV. Ita vero iactis fundamentis mox & ulterius subinde progressi sunt Pontifices Romani, & gressu quidem felici non minus, quam audaci, praesertim cum BONIFACIVS III. iam seculo VII. oecumenici titulum a PHOCA Tyranno obtineret: cum & seculo VIII. luctuosa perturbati occidentis tempestas pontificiam auctoritatem quasi alluuione quadam adaugeret, seculo autem IX. imperatorum Francicorum liberalitas spiritualem potestatem iam & seculari robore suffulciret: cum denique seculo X. in quo, fatente ipso Cardinali BARONIO *in annalibus* ad *hoc seculum*, impotentes foeminae THEODORA & MAROZIA, naviculam Petri eiusque naucleros, quo libebat, dirigebant, summa clericorum ignorantia, per-

(*l*) Multa vtique ad fouendam stabiliendamque pontificum Rom. praepotentiam concurrebant. Inter haec autem non postremo loco numerari debent exarchorum in Italia a graecis imperatoribus constitutorum tum in tuenda auctoritate sua negligentia, tum vero & truculenta tandem oppressio, Barbaris Gothorum, Vandalorum, atque Longobardorum populis totam Italiam misere deuastantibus. Dignus omnino est, qui huc legatur FR. GVICCIARDINVS, cuius notabile fragmentum mala pontificiorum fide *ex eius* HISTORIARVM *libro quarto* omissum, sed postea ab eiusdem consanguineo ex *Autographo Florentino* restitutum, *suae historiae papatus* adiecit I. H. HEIDEGGERVS.

peruerfiſſimusque clericorum ſtatus omnem fere diſciplinam eliminaret.

§. XV. Atque ita facile iam intelligitur, qui priſca diſpenſandi ratio a primaeua ſua indole paulatim deſciuerit. Neque enim fieri poterat, quin exulceratis iſtis eccleſiae pariter atque imperii Romani temporibus canones legesque eccleſiaſticae miſere corrumperentur, & lethali quaſi vulnere priſtinus diſciplinae vigor conficeretur. Fatendum tamen, nondum aetate iſta omnem erga ſacros canones reuerentiam exoleuiſſe. Vulnera tantum eccleſiae diſciplina acceperat, mortem nondum ſubierat. Imo vero ſi THOMASSINVM, ſi & FLEVRIVM audiamus, ZACHARIAS ſeculi VIII. Papa in epiſtolis ad S. BONIFACIVM datis magnum adhuc pro integritate canonum atque pro vigore diſciplinae zelum ſpirat, adeo, vt dictus FLEVRIVS, vir de hiſtoria eccleſ. meritiſſimus, recitatis Zachariae ad Bonifacium verbis hoc ſubiungeret epiphonema: *Telles etoient alors les diſpenſes! des indulgentes pour vne faute commiſe, non de permiſſions de la commettre.* Tales tunc temporis erant diſpenſationes! Scilicet remiſſiones peccatorum commiſſorum, non autem venia committendorum, *Fleury dans l'hiſtoire de l'egliſe Tom. IX. L. XLII. ad a. Chriſti 751.* Simul vero & iſtud certum eſt, mediae aetatis diſpenſationes iam tum hoc potiſſimum diſcrimine a primitiuis iſtis defeciſſe, quod, cum ius diſpenſandi primum non tantum omnibus Epiſcopis, ſed & ipſi plebi totique eccleſiae commune eſſet, nunc Romanus Praeſul illud ad ſe ſolum raperet, iamque omnes fere diſpenſationes, ſiquidem valituras, a Romana ſede deriuari neceſſe eſſet. Quam inuitis & repugnantibus vbique Epiſcopis id factum ſit, hiſtoriae loquuntur. Equidem PETRVS de MARCA & poſt hunc ſaepius citatus L. THOMASSINVS omni opera id agunt, vt chriſtiano orbi perſuadeant, ipſis ita volentibus petentibusque Epiſcopis, ius diſpenſandi pedetentim in ſolum pontificem Romanum deuolutum fuiſſe. Ingenioſis hanc in rem iſti fictionibus vtuntur, & dum Papae palpum trudunt, ſimul rei Eccleſiaſticae peritis glaucomata obiicere laborant. Ita THOMASSINVS Epiſcopos ordinario ſuo diſpen-

Nondum tamen omnis aetate iſta erga canones reuerentia exoleuerat.

ſandi

ſandi iuri ultro renunciaſſe fingit, *eo credibilius autem eſt, l. cit. c. XXV. §. 12.* inquiens, *aſſenſos eſſe ipſos Epiſcopus huius iuris abdicationi, eiusque ad primam ſedem quoad exercitium reuocationi, quod nimia quandoque indulgentia in ſummum adducerentur dignitatis ſuae diſcrimen.* Verum enim vero inanem iſti operam ludunt, nec niſi vaniſſimis coniecturis nixi contra omnem hiſtoriarum fidem ſpontaneae abdicationis inuolucro obtegere conantur, id quod vi aſtuque a pontificibus Romanis factum fuiſſe luculenter conſtat.

Iudicium de Marca & Thomaſſino. §. XVI. Dolendum autem, homines gallos, de libertatibus iuribusque eccleſiae ſuae conuictiſſimos, viros inſigni alias eruditione claros, vbi cum aula Romana committuntur, in huius gratiam toties muſſitare, & quo minus ſcapham, ſcapham appellent, aut mentem ſuam candide eloquantur, metu hypocritico ſubinde abſterreri. Et ſane volupe, at viris iſtis ſimul perindignum eſt, intueri, quam torqueant ſe illi, quantamque vim conſcientiae ac candori ſuo, alias ſat ingenuo, inferant, cum immoderata pontificis Romani potentia moderanda, praeſensque rerum ſtatus cum iſto eccleſiae primitiuae conciliandus venit. De MARCA quidem nemo neſcit, eum *pallium* dediſſe vento, praeſertim cum *pallium* ambiret *Archiepiſcopale.* At idem etiam de THOMASSINO affirmandum. Multa is in gratiam veritatis, multa in defenſionem libertatum gallicarum egregia profert. Vbi tamen periculum eſt, ne in offenſionem Papae quicquam afferat, eheu! quam timidulus ille eſt, quam prouidus, callidus! Ita, cum illi veritas non minus, quam intereſſe gallicanum extorſiſſet fateri, ab ipſis inde apoſtolis omnes olim ſingulosque Epiſcopos ius diſpenſandi iure proprio & aequaliter poſſediſſe: cum & idem ad tuendam hypotheſin, ipſi cum praecipuis libertatis eccleſiaſtiae defenſoribus communem, quod eccleſiae regimen Ariſtocraticum (*m*) magis ſit, quam Monarchicum,

(*m*) PETRVS de MARCA eandem ſententiam tenet & hinc *L. II. C. XVI.* loco Chriſti *Matth. XX. Reges gentium dominantur, vos autem non ſic,*

cuiu, necesse habuisset affirmare, ipsam dispensandi potestatem insertam & concretam quodammodo esse Episcopali dignitati, ita, vt qua talis a pontifice Romano non dependeat, contra quam hodie canonistae docent, quanta, obsecro, contentione, quanta cautela & circumspectione is ipse prius dicta iterum emollire & tantum non resorbere tentat! Non iniuria igitur illum in eorum classem referas, ad quam & PETRVM de MARCA ill. DN. THOMASIVS in recens edita *historia contentionis inter imperium & sacerdotium p. 326.* iure meritissimo ablegat, eum *ambidextrum* vocans, einen Achselträger, quo elogio & antea iam insignitus fuit ab Anonymo Leodiensi, qui anno 1639. edidit *les traités des droits & libertés de l'eglise gallicane.* Huc etiam adspersisse iuuat acutum BAELII iudicium, quod is in *dictionario voce* MARCA, expositis MARCAE satis, subnectit: Ita autem ille: *Concluons de ce narré, que c'est une seruitude tres facheuse a la cour de France, que d'auoir besoin des bulles du Pape pour etablir des euêques; Car cela fait, que ceux, qui sernieut capables de bien maintenir les libertés de l'eglise gallicane & les interets du Roy dans ses demêles auec Rome, n'osent employer toutes leurs forces. Ils aspirent aut prelatures & ils voyent, qu'ils n'y pourront iamais paruenir, s'ils se rendem trop odieux a la cour de Rome; on du moins, qu'il faudra, qu'ils fassent des factions honteuses. Il n'y a pas long tems, que cela est arriué a quelques membres de l'assemblée du clergé de l'an. 1682.*

§. XVII. Equidem THOMASSINVS istam, quam veteribus Episcopis affingit iuris abdicationem *voluntariam* aeque atque *iustam* evincere conatur exinde, quod dispensandi munere nemo

Inane Thomassini commentum in gratiam aulæ Romanae prolatum.

F

sic, a se explanato haec verba subiicit: *Verus dominatus est penes Reges, non autem penes sacerdotes, quarum potestas non est despotica, sed temperata & ad populorum vsum accommodata, ita vt NB. MONARCHIA ECCLESIASTICA ex ARISTOCRATICO regimine sit mixta.* Multo cordatior hoc Archiepiscopo L. ELLIES DVPIN in laudato opere de *A. E. discipl. dissert. IV. p. 322. Et certe,* inquit, *quoad regimen prima illa ecclesia aristocratia usa est.*

nemo rectius, nemo sanctius curatiusue fungi consueuerit, quam Episcopus Romanus. Inde enim concludit, ex ecclesiae vtique *necessitate* atque *commodo* fuisse, vt potestas dispensandi, tot ante seculis Episcopis relicta, ad solam sedem apostolicam reuocaretur. Sed vtut demus, Episcopos ecclesiae Romanae primos canonum obseruantissimos fuisse, eandem tamen laudem & sequioribus (*n*) vindicare velle, nihil aliud foret, quam ad manifestam coecutire velle veritatem. Quod vt clarius patescat, iam & ad *quartum* dicendorum membrum properamus.

Facies dispensationum ab initio seculi XI. vsque ad aeram reformationis.

§. XVIII. Scilicet ex ordine nunc IVto etiam, quantus tandem dispensationum abusus inualuerit, & ad quem vsque apicem Romanorum pontificum audacia progressa fuerit, adductis quibusdam papalium dispensationum exemplis vsque ad aeram reformationis declarandum restat. In exponendis dispensationum fatis ad *undecimum* vsque seculum peruenimus. Quinque igitur secula supersunt, si historiae filum ad tempora reformationis vsque pertexere velimus. At nimis longum foret, per singula eorum cum cura ire. Itaque vt breuiter nos expediamus, summatim omnia complectenda erunt.

Contemplatio seculi XI. seu Hildebrandini.

§. XIX. Crescente Romanorum pontificum potestate, succreuit etiam abusus dispensationum. Quemadmodum ergo ista seculo inprimis XI. quo GREGORIVS VII. famosus ille pon-

(*n*) Equidem si ad voces verba & decreta pontificum Romanorum, etiam aetate iam sequiori & speciatim seculo XI. regnantium, attendere velimus, putares, eos magna adhuc canones in reuerentia habuisse. Nolebant enim coram hominibus videri, qui reuera fuerant, canonum & disciplinae sanctioris destructores. At vero illos glaucomata obiecisse incautis, penitior rerum inspectio facile demonstrat. Haud igitur attendenda sunt pontificum effata dispensationum corruptelas cum specie a se deuoluentia; Nec difficile isti fuerit, qui historiam seculi XI. exactius euoluit, iudicare, quid sentiendum sit de verbis v. gr. VRBANI II. in concilio Romano III. prolatis: *Quam-*

pontifex, sacros fasces usurpauit, ad suam ἀκμὴν peruenit, ita & ab eodem tempore abusus dispensandi mira incrementa cepit. Quotquot enim auctorum effusam istam dispensandi liberalitatem taxant, ii fere omnes a seculo *vndecimo* ordiri solent. Ita EDMVNDVS RICHERIVS, vir doctus & cordatus *cap. IX. libelli de eccles. & politica potestate p. 174. Profecto,* inquit, *octingentis atque amplius annis, h. e. ante imperii translationem ad Francos, Rom. Pontifices sese tantummodo vltores siue executores canonum praedicabant: lapsu demum temporis, cum omnes Christianae nationes summis ignorantiae tenebris consopitae detinerentur, absolutam auctoritatem omnia decernendi collegerunt, PRAECIPVE A GREGORII VII. TEMPORIBVS.* Ita & FR. FLORENS, vbi exemtiones Monasteriorum, quae dispensationum speciem efficiunt, ex historia illustrat, potissimum earum abusum in seculum XI. reiicit. *Opp. p. I. p. 274.* „Ab his„ dicens, initiis indistincte, etiam sine ulla causa, nisi liberalitatis„ exercendae, non adhibito Episcoporum consensu, imo & his„ inconsultis NB. & in vitis, priuilegia plurima summi pontifi-„ ces concesserunt, quod potissimum frequentasse videntur„ LEO IX. GREGORIVS VII. VICTOR. III. VRBANVS II. PASCHALIS II.„ Pariter de hoc PASCHALI etiam THOMASSINVS *l. c. c. XXIX. §. 10.* memorat: *Postquam autem Paschalis Papa ianuam aperuit dispensandi in gradibus cognationis, mirum postea in modum id genus dispensationes increbuere.* Idem *Cap. XXVII. §. 3.* ex eodem seculo, exemplum dispensationis, quam *nouam & priori aetati inauditam* vocat, adducit.

§. XX. Nec meliora de seculo duodecimo, quo vix aliud *De seculis XII. & XIII.*

Quamuis autem misericordiae intuitu magnaque necessitate hanc in sacris ordinibus dispensationem constituimus, nullum tamen praeiudicium sacris canonibus fieri volumus, sed obtineant proprium robur, & cessante necessitate illud quoque cesset, quod factum est pro necessitate. Nempe est protestatio facto contraria. Simile iudicium ferendum de similibus effatis eiusdem seculi Paparum PASCHALIS II. GREGORII VII. NICOLAI II. &c. quae congesta & collecta videas apud LAVNOIVM *volumine epistolarum edit. Cantabrig. P. IV. p. 348.*

aliud maiori paparum in Episcopos non modo, obedientiae iuramentum tum praestare coactos, quam in reges principesque, & ipsos maxime imperatores Romanos, audacia diffamatum fuit (v. HEIDEGGERI *historia papatus* §. *XCIV. p.* 104.) sperare licet: *Post seculum enim undecimum*, ait PETRVS de MARCA *L. III. c. XIV.* §. 6. *frequentior esse coepit dispensationum usus*, rectius dixisset, *abusus*, Et quid de seculo XIII. iam augurandum, in quo INNOCENTIVS III. qui *iuris novi decretalium princeps & parens* THOMASSINO audit, in quo & (*o*) BONIFACIVS VIII. novus ille iubilaei atque indulgentiarum profusissimus inventor, triplici diademate coruscabant? Certe contra dispensationes huius seculi plenus iterum querelarum est THOMASSINVS, in eo tamen haud ingenuus, quod pontificum Rom. ἀσυλίαν dissimulaturus culpam abusuum ab iis amoliri, eamque in reliquos illius temporis Episcopos transferre satagit, ea scilicet intentione, vt ne violentiae papali, qua omne dispensandi ius ad se abripuere, offuciae deessent. v. THOMASSINVS *P. I. L. II. c. LXX.*

De seculo XIV.

§. XXI. „Accedendum nunc nobis est (sunt verba, quae „iterum a THOMASSINO *l. modo allegato*, mutuamur) ad seculum „XIV. & ad concilium viennense a. 1311. habitum, vbi quam liberas & iustas, tam obseruantiae & amoris plenas querelas con„gregati Episcopi effudere de dispensationibus frequentiori„bus, quas NB. ipsi pontifices darent etiam PVERIS ad obtinen„da & ad plura simul obtinenda beneficia.„ In primis vero magnus hoc seculo circa dispensationem beneficiorum usus invaluerat. Perstrinxit eum SARPIVS *in libro de beneficiis & reditibus ecclesiasticis*, quando 32. 33. &c. *p.* 192. ita infit: *Certe dispensationes super pluralitate beneficiorum ita excedebant, vt circa annum* 1320. *Ioannes XXII. eas omnes reuocaret & limitaret usque ad duo beneficia alterum curatum & alterum non curatum cap. Execrab. de*

(*o*) Solium papale inuasit hic BONIFACIVS circa exitum seculi XIII. de hoc scriptores memoriae prodiderunt, eum coronatum & accinctum, cum in publicum prodiret, alta voce proclamasse: *Ego sum Caesar & Papa.*

de praebend. Extrau. Sed cum sibi RESERVARET *(p) dispositionem, circa reliqua facile sibi persuaserunt sagaciores, eum non intendisse sublationem abusuum, sed potius incrementa aerarii proprii, quod etiam euentus docuit, cum pluralitates beneficiorum ab illo tempore adhuc frequentiores essent, quam antea.* Iudicium SARPII confirmat PAVLVS LANGIVS, Monachus Bazoviensis, quando in chronico citizensi de BONIFACIO IX. IOHANNIS XXII. post sex alios successore, scribit: *Anno Domini M. CCCCIV.* BONIFACIVS *summus pontifex diem clausit extremum, qui primus NB. annatam beneficiis ecclesiasticis imposuit, vt beneficium adeptus dimidium annui prouentus Apostolico solueret fisco, qui permultas fecit NB. pro* PECVNIA EXEMTIONES *in perpetuum malum ecclesiae. Per huiusmodi quippe exemptiones obedientiae bonum dirimitur & corpus ecclesiae militantis confunditur & dissipatur. Quare sancti tales exemtiones valide reprehendunt. Quemadmodum & beatus ac mellifluus* BERNARDVS *in libro de Consid. ad* EVGENIVM *sum. pontificem alloquens, ita inter alia fatur:* AVDI MVRMVR ET QVERIMONIAS ECCLESIARVM. vid. LAVNOIVS *Volum. epist. p. VI. p. 551. & sqq. (q.)*

§. XXII. Haec cum ita habuerint seculo XIV. iam & mores seculi XVti, quod *reformationem* proxime antecessit, facile

De seculo XV. In hoc abusus dispensandi ad summum apicem pertigerat.

(p) Locus nobis hic dicendi foret de *reseruatis papalibus*, magno iterum violentiae Romanae argumento. Per ista enim nihil aliud intelligitur, quam potestas dispensandi a papa sibi reseruata. Verum euitandae prolixitatis ergo remittimus lectorem ad Ill. DN. THOMASII notas in LANCELLOTAM, inprimis *L. I. tit. XXVII. p. 416. seqq.* vbi egregie ostenditur, quanto auaritiae necnon ambitionis artificio reseruata ista inseruierint.

(q) Memorabile etiam est iudicium, quod de fatis huius saeculi FLEVRIVS edidit dans l'institut. au droit Ecclesiast. *P. I. l. 1. p. 14. La plus rude atteinte, que recût iamais la discipline de l'eglise, fût pendant le grand schisme d'Avignon sous la fin de quatorzieme siecle. Chaque pape donnoit a l'envi toutes sortes de dispenses & de graces pour augmenter ou conseruer son obedience.*

facile praeuideri possunt. Scilicit in hisce duobus seculis audacia papalis ad supremum suum apicem ascendit,iamque nihil alteri excogitari potest dissimilius, quam quidem dispensandi ratio, quae tum inualuerat, cum moribus ecclesiae primitiuae comparata. Non dissertatio, sed vastae volumen molis nobis conscribendum esset, si prolixe hic inquirere, & excessus a pontificibus Romanis factos in vnum coniicere vellemus. Sed cui bono? Quis enim est, qui crassissimas istas sedis Romanae aberrationes ignoret? Quis est, qui nesciat, seculo inprimis XV. integra concilia ad tollendos eiusmodi abusus conuocata fuisse? (r) Imo, quis est, quem lateat, enormem istum indulgentiarum, quae & ipsae inter dispensationes pertinent, abusum primam praecipuamque B. LVTHERI reformationi ansam suppeditasse? Vt adeo longiori probationum ambitu facilime possimus supersedere.

Transitus ad querelas virorum praestantissimorum.

§. XXIII. Vt vero de ipsis sequiorum temporum corruptelis constet, vtque pateat, quanto istae discrimine a primitiuis tandem deuiarint, agedum, aurem paulisper commo-

(r) Huc spectant maxime concilia, *Constantiense* & *Basileense*, quorum non minima occasio fuit laxatae dispensationum disciplinae fibulam iniicere. Sed irritus omnino patrum in iis congregatorum conatus fuit. Quam enim Episcopi iure postliminii ad se reuocare tentabant potestatem, quam & multi recuperatam a se credebant, ea mox iterum depellebantur. Audiamus vel hic quoque THOMASSINVM, toties iam a nobis in testimonium vocatum. Is vero *P. II. L. III. c. XXVIII.* §. *10.* *Auenionensi schismate*, inquit, *conflagrante, cum se regna quaedam tanquam in interregno sacro ab omni subduxerint summorum pontificum obedientia, eam sibi visi sunt recuperasse Episcopi potestatem dispensandi amplissimam, qua NB. quondam potiebantur. Atque in Pisano concilio a. 1409. ratum habuit Alexander Papa, quicquid ab illis interim fuisset dispensatum. Contra a. Martinus V. in concilio Constantiensi a. 1418. reuocauit dispensationes omnes, a prioribus indultas pontificibus, vtne ordinibus initiari tenerentur, quos requireret beneficium, quo gaudebant.*

modemus crebris istis grauissimisque virorum praestantissimorum, etiam inter pontificios, querelis. Tum & paucula quaedam *papalium dispensationum* exempla e recentioribus subiiciamus.

Ingens quiritantium caterua,

§. XXIV. Non est vero, non est, cur iam ad S. BERNARDVM vsque, ad HILDEBERTVM Cenomanensem', IOANNEM Sarisberiensem, MATTHAEVM Parisium, GVILIELMVM DVRANDVM, NICOLAVM de CLEMANGIS, IOANNEM GERSONEM &c. quos omnes tristissimas contra dispensatorios excessus querelas effudisse testatur PETRVS de MARCA *L. II. C. XIV.* §. *10.* cur, inquam, ad veteres illos veritatis testes atque vindices excurramus? Audiamus tantum eos, qui nobis aetate propiores in medio papatu sibi temperare non potuerunt, quin ad abusus istos lamentarentur. (*s*) Ita CLAVDIVS ESPENCÆVS *in epist. ad Tit. c. 1. annon*, iniquit *ἀιχροκερδία est, quod tam multa positiuo tantum iure praecepta vel prohibita eousque ligant homines, donec pecunia sibi harum constitutionum gratiam impetrent? ita vt regina rerum, pecunia, diuitibus licitum faciat, quod pauperibus licitum non est*, (*t*) *quoniam diuitias non habent. - - Vix enim quidquam prohibetur, quam vt ne quis gratis contraueniat, & quod vetatur, numerata statim pecunia dispensatur, quasi nullum sit peccatum maius, quam numis carere.* ESPENCÆO iungimus ANTONIVM de DOMINIS. Hic in *de republ. eccles. L. V. c. 12. p. 462. Non alia de causa*, inquit, *Romani pontifices usque ad quartum gradum prohibitiones has extenderunt, nisi vt frequen-*

inprimis vero a. Cl. Espencaei,

β. Antonii de Dominis.

(*s*) Nouissime hunc abusum notauit FLEVRIVS dans *l'institution au droit eccles. p. 1. c. 1. p. 13.* aiens: *On crut, que les papes ne pouuoient mieux faire paroitre leur puissance qu'en etendant sans bornes les drous de dispenser des canons, au lieu que pendant mille ans ils en auoiens usés auec une extreme circonspection.*

(*t*) Imo vero, si ESPENCAEVS aurem praebeat doctrinae AVGVSTINI de ANCONA, non est, cur adeo excandescat. Ita enim ille in libro *de potestate papae qu. 3. Quantum*, inquit, *ad remissionem poenae, quae acquiritur per indulgentiam, in tali casu non est inconueniens, quod diues sit melioris conditionis, quam pauper.*

quentiores essent dispensationes, ex quibus immensa pecunia in eam curiam confluit: Et assignata sunt in cancellaria pro singulis remotioribus gradibus precia: nam propinquiores compositiones facere debent, sane ingentes, vbi praesertim coniuges vel diuites sunt, vel magnates, vel principes. Et hoc procul dubio facit, vt leges ecclesiasticae talium nuptiarum prohibitiuae sint prorsus iniustae ac nullae. Non enim honestatem ac decentiam respiciunt, aut in reipsa aequitatem, sed solum proprium lucrum: Nemo enim est, cui tales dispensationes negentur, & quotquot eas petunt, tot eas accipiunt, solo precio exhibito, imo ne a papa quidem postulantur, sed prostant in publico officio cuicunque accedenti venales. Et L. VI. cap.10. idem ita perorat: *Si liceret Papae cum causa salutis animarum reges deponere, iam breui idem posset sine causa. Persuaserunt initio Papae palpones & adulatores, posse eum in sacris canonibus cum causa dispensare; quo tandem deuenit res? vt iam etiam sine causa, imo turpi ex causa, dispenset explenitudine potestatis.*

γ. Pauli Sarpii. Antonio succedat SARPIVS, qui in libro *de benef. & red. eccles. p. 455.* occasione temporum Innocentii IV. in haec erumpit verba: *Etsi auctoritas & potestas illa maxima, quam aula pontificia vsurpabat. omnibus bonis valde displiceret, placebat tamen ea maximopere plurimis ex clero & aliis ad beneficia adspirantibus & propter defectum requisitorum canonicorum incapacibus. His nemo Episcoporum ex reuerentia canonum audebat conferre beneficia: Sed quod non audebant Episcopi, NB absque haesitatione faciebant pontifices, secure dispensantes aduersus canones & constitutiones ecclesiasticas, adhibendo formulas & clausulas:* de plenitudine potestatis. *Item:* non obstantibus, quae hodie in omnibus Bullis beneficiorum *inueniuntur, cum antea per plura secula plane erant incognitae. Atque hanc audaciam ipsi Papae obiecit Robertus Episcopus Lincolniensis in epistola ad Innocentium IVtum.*

δ. statuum imperii. Quid multis? Inter centum grauamina, Norimbergae in cōmitiis caesari a Statibus imperii tempore reformationis exhibita, primum statim de abusu dispensationum egit. Ita enim Principes: *Primum* (scilicet grauamen) *versatur circa constitutiones humanas, quae dum dispensationibus Romae rediguntur, omnem iniquitatem procreant & nos nostro aere priuant.*

vant. Adeo ſcilicet omnis ſere orbis de abuſu iſto conquerebatur!

§. XXV. Nec mirum; dici enim non poteſt, quot quantaeue corruptaele rationem diſpenſandi in aula Romana tum peruaſerint. Olim quidem perrarae erant diſpenſationes: at tum longe frequentiſſimae. Olim poteſtas diſpenſandi, ceu audiuimus, pars ipſius dignitatis Epiſcopalis habebatur, adeo, vt eodem iure, quo quis Epiſcopus eſſet, etiam circa canones diſpenſaret. Tum vero pontifex Romanus tanquam ſummus omnis ſpiritualis iuriſdictionis arbiter, tantum non adorari coepit, iamque precaria facta fuerat poteſtas & a papa in Epiſcopos deriuanda, quae olim dignitati Epiſcopali ſine vlla dependentia quaſi propria habebatur, eique eſſentialiter innexa. Olim duae tantum iuſtae diſpenſationis cauſae erant, *neceſſitas* & *utilitas communis* eccleſiae. Tum vero centenae (*u*) excogitari, tum pro lubitu omnia tractari coepere. Olim nulla priuatorum ratio habebatur, ſed commune bonum & communis neceſſitas attendebatur. At vero tum vtramque paginam faciebat *ſcientia ſingularis*, *nobilitas ſanguinis*, *meritorum praeſtantia* & quod caput eſt *favor Pontificis*, quandoque etiam *largitio*, & *liberalitas* petentis, non propter bonum publicum amplius & ob publicam cauſam, ſed unice ob emolumentum petentis priuatum. Olim violatorum tantum canonum venia dabatur: tum vero & violandorum. Olim locum obtinebat diſpenſatio, ſi quae forte vitioſa praeceſſiſſet ordinatio, aut ſi quod dubium exiſteret, de Clericis vel Epiſcopis ab haereſi redeuntibus, quatenus in gradu ſuo ſuſcipi aut tolerari deberent, aut ſi quod ſchisma metuendum eſſet, aut

Recapitulatio dictorum & comparatio diſpenſationum modernarum cum antiquis.

(*u*) PYRRHVS CORRADVS, qui in *Opere ſuo* id praecipue egit, vt Praxin diſpenſationum papalium hodiernam ex ipſo *Rom. curiae ſtylo*, *conciliorum ac decretalium papalium ſanctionibus*, *Rotae Rom. deciſionibus*, adductis tum ipſarum diſpenſationum, tum ſupplicationum pro iisdem variis exemplis authenticis, elucidaret, eiusmodi cauſarum quatuordecim enumerat, quas vero allegare nimis longum foret.

aut si poenitentiae rigorem temperare oporteret, aut si quae alia circa disciplinam ecclesiasticam nascerentur incommoda, quæ remissius agere iuberent. At ex nouiori iure multa alia accesserant dispensationis capita, nec canon fere erat, vel lex, vel statutum aut decretum pontificis, quod non tot dispensationibus suberat, quot syllabis constabat. Olim casta & sancta erat ecclesiae disciplina, neque nimia praeceptorum farragine obruta, neque etiam ob defectum illorum inopiamue nimis laxa. Tum vero sub onere statutorum nouarumque indies ferendarum legum ecclesia fatiscebat. Sed quo auctior erat canonum & legum numerus, eo luxatior disciplina, ipsa quippe legum multitudine etiam dispensationum frequentiam post se trahente.

Multiplicabantur leges, vt multiplicarentur dispensationes, id quod probatur variis exemplis.

§. XXVI. Exempla sunt in promptu. Et quod ad leges quidem attinet, ecquis ignorat innumera illa matrimoniorum obstacula ex cognatione spirituali & legali, atque ex tot gradibus consanguinitatis, affinitatis, nec non publicae honestatis, a iure nouo confictis, originem trahentia? Quem fugiunt tot ciborum rerumque alias indifferentium interdicta? Quis nescit Canones & decreta pontificum, super iuramentis, votis, beneficiis & infinitis istis irregularitatibus multiplicata? Ita vero omnino necesse erat, etiam dispensationum frequentiam introduci. Quin eo tandem deuentum erat, vt papa tantum non omnia auderet. In omnibus enim casibus, paucis exceptis, potestatem dispensandi is sibi arrogabat. v. SPECVLAT. *rubr. de dispensat. dom. papae.* Olim patres etiam illas leges, quas ipsi condiderant, nonnisi difficilime relaxabant. Tum vero non canones modo & leges ecclesiasticae, sed & leges diuinæ ipsæ Paparum licentiæ succumbebant. Etenim publica Doctorum doctrina extat, papam etiam contra ius diuinum posse dispensare. v. PROSP. FARINAC. *tract. de inquis qu. 6. n. 23.* Nec minus pro regula traditur, *ei, qui a pontifice maximo legibus solutus est diuinis, apud DEVM immortalem satis cautum esse. c. non est X. de votis.* BODINVS *L. I. de Republ. c. 1. p. 153.* Confer quae apud FELICIANVM de OLIVA *in tract. de foro eccles. p. II. quaest. 36.*

Audacia Pontificum Rom. eorumque potestas infrunita.

vtrum

vtrum summus pontifex possit in voto & iuramento dispensare? leguntur. Sic & BALDVS *in l. rescripta n. 9. c. de precib. imperat. offerend.* ANCHARAN *consil. 378.* PETRVS ANTONIVS de PETRA *de potestat. princ. c. 27. n. 61. sq.* statuunt, papam dispensare posse contra doctrinam cuiuslibet libri canonici & contra praecepta tabulae secundae. LAINEZIVS quoque, Iesuitarum Generalis, apud PETR. SVAVEM *H. Conc. Trid. L. VIII.* putat, per dispensationem papae liberari eum, qui coram DEO obligatus est. (*x*) Supposita autem hac doctrina, iam facile capitur, quanta ex ista non potuerit non consequi dispensationum licentia. Ita v. gr. historiae docent, quod EMANVEL, Rex Portugalliae, duas sorores successiue: Rex Angliae HENRICVS VIII. ARTVRI fratris defuncti coniugem: Rex Siciliae, FERDINANDVS, sororem patris sui IOANNAM duxerit in vxorem, dispensante papa contra ipsas quoque, quales pontificii alias in his casibus admittunt, prohibitiones diuinas. Et quid de *dispensationibus* dicamus, contra leges & canones humanos factis? Heic vero omnia plane repagula conuulsa, valuaeque effractae erant omnes.

Infinitus dispensationum circa leges humanas numerus.

§. XXVII. Ipse HENR. SPONDANVS ad a. 1473. memorat, quod SIXTVS IV. Arragoniae Regi, pro spurio suo sexenni Archiepiscopatum Caesar-Augustanum petenti, publica dispensationis Bulla annuerit. (*y*) HOTTINGERVS vero in *hist. eccles. P. VII.*

(*x*) Succreuerunt hic belli flosculi ex infausto illo dogmate de absoluta atque illimitata pontificis Rom. potestate. Huius enim beneficio Papa quiduis e quouis elicit, nec est, qui contra hiscat. Imo vero iubente isto scelera in virtutes transeunt, & quae in aliis simonia est, in papa liberalitas vocatur. Hinc & IOH. DAMHOVDER in *Praxi Rer. Crim. c. 61. n. 67.* tam impudens est, vt scribat: *Papa non dicitur committere simoniam, si confert beneficia vel dignitates accepta pecunia, quia Papatus est Apostolatus, & aut sanctum facit, aut sanctum recipit, & licitum est Papae AEQVARE QVADRATA ROTVNDIS.*

(*y*) THOMASSINVS *P. I. L. II. c. 70. §. 6.* cum SPONDANO illud vocat primum specimen foedissimae dispensationis, quae dissipatio verius dicatur

P. VII. prolixus admodum est in recensendiis variis dispensationum, super aetatis defectu, natalium maculis, homicidiis, duellis, bellis &c. factarum exemplis. Scilicet nihil olim legibus tam solide conferruminatum fuerat, quod auro & argento non potuisset iterum perfacile dissolui. Inprimis vero ante & sub tempore Reformationis fortiter ingeminari poterat:

Auri sacra fames, quid non mortalia cogis
Pectora?

De taxa poenitentiaria. Irrefragabalis clarissimaeque probationis loco inseruire poterit famosus iste taxae poenitentiariae libellus, de quo CLAVD. ESPENCAEVS *epist. ad Tit. c. I. p. 67. Prostat*, inquit, *& in quaestu pro meretrice sedet liber palam ac publice impressus & hodieque, vt olim venalis, taxa Camerae seu cancellariae Apostolicae inscriptus, in quo plus scelerum discas licet, quam NB. in omnibus omnium vitiorum summistis & summariis. Et plurimis quidem licentia, omnibus autem absolutio emturientibus proposita. Parco nominibus. Nam quod ait, nescio quis,*

Nomina sunt ipso paene timenda sono.

Lucem iste liber primum vidit Lutetiae Parisiorum, a nostris iam aliquoties in belgio recusus. Hunc vero si euolaus, constupeas oportet ad infrunitam curiae Romanae, quam illa dispensationibus exercuit, Simoniam. Haec etenim taxa tolerabili pretio venum exponit caussas quascunque matrimoniales, Iudaeis erigendi Synagogas libertatem, licentiam suscipiendi ordines corpore vitiatis, male promotis, illegitimis, irregularibus, bigamis, bellatoribus, violentis, percussoribus &c. Eadem aere veniam addicit homicidis voluntariis, casualibus, necessariis, nec minus presbytericidis, laicidis, parricidis, vxoricidis &c. haereticis, Simoniacis, carnaliter lapsis, & tandem quibus non?

Facies dispensationum a tempore reformationis. §. XXVIII. Supersunt temporae, quae a reformatione LVTHERI ad hanc usque aetatem nostram pertinent, duo nem-

catur legum canonumque, qua pontifices Regesque vno eodemque grauissimo salutis discrimine implicentur.

nempe fecula, proxime elapſa, e quibus & ipſis quoque fata diſpenſationum in ecclefia enarranda reſtant. Studebimus vero hic breuitati, & tribus, quod aiunt, verbis nos expediemus.

§. XXIX. Eccleſia poſt reformationem in duas partes fciſſa eſt, in eam, quam hodie ROMANO-CATHOLICAM, & alteram, quam PROTESTANTIVM vocamus. Prima ergo quaeſtio Eccleſiam Romanenſium tangit, atque de hac quaeritur, quaenam diſpenſationum facies in ipſa remanſerit, atque etiamnum obtineat, poſt reformationem? Heic vero diſtinguamus neceſſe eſt doctrinam a praxi. Doctrina pontificiorum de *diſpenſationibus* hodierna in concilio Tridentino extat. Ibi enim *ſeſſ. XXV. c. XVIII.* circa diſpenſationis rationem modumque a pleno patrum conſeſſu ita ſancitum legimus: *Sicut publice expedit legis vinculum quandoque relaxare, vt plenius, euenientibus caſibus & neceſſitatibus, pro communi vtilitate ſatisfiat: Sic frequentius legem ſoluere, exemploque potius, quam certo perſonarum rerumque delectu petentibus indulgere, nil aliud eſt, quam vnicuique ad leges transgrediendas aditum aperire. Quapropter ſciant vniuerſi, ſacratiſſimos canones exacte ab omnibus, & quoad eius fieri poterit, indiſtincte obſeruandos. Quod ſi vrgens iuſtaque ratio & maior quandoque utilitas poſtulauerint, cum aliquibus diſpenſandum eſſe: id cauſſa cognita ac ſumma maturitate atque NB. gratis a quibuſcunque, ad quos diſpenſatio pertinebit, erit praeſtandum: aliterque facta diſpenſatio ſurreptitia cenſeatur.* Fateor, egregia haec patrum Tridentinorum effata eſſe, nec a quoquam facile reprobanda. Et putares ſane, longe aliam nunc Eccleſiae Romanae faciem obtinere, quam quidem illa ſuperioribus ſeculis viſa eſt. Adeo ſcilicet abuſus diſpenſationum in hoc decreto reſciſſus videtur omnis. Agnouerunt ſine dubio patres Tridentini, aut eccleſiae diſciplinam ruituram prorſus omnem, aut abuſui diſpenſandi, quo vehementer iſta peſſum dabatur, medelam afferendam eſſe. Itaque & decretum iſtud ſanciuere. At vero plura in eodem promittuntur, quam in praxi hodie ſervantur. Prouocamus hunc in finem ad ſaepius citatam *praxin* PYRRHI CORRADI *diſpenſatoriam* vt

Et primo quidem in Eccleſia Romano-catholica.

Iudicum de concilio Tridentino.

An praxis hodierna eius decreto ſit conformis.

& ad *praxin* eiusdem *Beneficiariam*.(z) Prouocamus ad *Datariam* & *Poenitentiariam*, curias Romae celeberrimas. Prouocamus ad Bullas inde quotidie euolantes. Exempla sunt odiosa, alias ingenti statim numero, etiam ex nouellis publicis, iisque recentissimis, afferenda. Illud vnice adhuc notamus, hodie quidem Episcopis Romano-Catholicis non omnem dispensandi facultatem ademtam esse, cum dentur casus, in quibus etiam inconsulto pontifice dispensare valent. Verum, vt taceam, saltim minoris momenti negotia Episcopis relicta esse, in eo certe ratio dispensandi hodierna a prisca illa longissime differt, quod quicquid iuris adhuc possident Episcopi, id omne solius pontificis Rom. indulgentiae & concessioni acceptum referri debere curia Romana censeat. Deinde tot sibi casus papa reseruauit, vt nimium quantum limitata fuerit eorum facultas dispensandi, vt adeo praesentis seculi dispensationes vel nihil vel parum differant ab iis, quas §. XXIII. ex corruptissimorum temporum statu allatas cum primitiuis comparauimus.

Secundo in Ecclesia protestantium, cuius sanior doctrina paucis declaratur.

§ XXX. Quod denique (V.) *protestantium ecclesias* concernit, illae, vti in doctrina, ita & in disciplina magnam omnino mutationem subiere. Et quemadmodum in genere ius circa sacra inter Protestantes ad genuinos suos fontes reuocatum, longe aliam a priori formam induit, ita & ius dispensandi noua prorsus facie comparet. Nimirum ex saniori protestantium doctrina *ius dispensandi* vnice ad eum pertinet, ad quem etiam *ius majestatis*. Cum enim ius circa sacra peculiare ius, a DEO Episcopis tributum, non sit, nec princeps etiam alia, quam supremae potestatis virtute summum in ecclesia Regimen administret, ius dispensandi non minus, quam omnia reliqua iura, ab aliis incongruo vocabulo *Episcopalia* dicta per ipsum tanquam principem vi summi, quod obtinet, imperi exercentur. Nec opus proinde est, eum in sacris dispensantem vel vt *Episcopum*, vel etiam vt *Papam* considerare. Quanquam enim iste *papalia* pariter atque *Episcopalia iura* in

(z) Prodiit haec ipsa volumine peculiari.

in territorio suo exerceat, hæc ipsa tamen non vt *papa* aut *Episcopus* exercet, sed vt *summus imperans* ac *princeps*, quippe cui soli competit iura Maiestatis, quorsum & iura circa sacra pertinent, exercere. Atque hæc demum verior rectiorque Protestantium doctrina est, multis quidem antehac difficultatibus obsepta, a Magnif. DN. PRAESIDE tamen in variis huc vsque editis tractatibus egregie euoluta atque roborata. vid. eius *iu ecclesf. protest. L. I. tit. 31. & ius Parochiale sect. I. cap. 2. sqq.* Loquimur autem hactenus de imperantibus protestantium in genere, nulla imperii Romani peculiari habita consideratione, de huius quippe principibus statibusque speciatim aliquid sub initium *cap. II. Sect. II.* adiecturi.

Scilicet soli principes, iique, quos ceu imperantes veneramur, sublimi iure dispensandi gaudent.

§. XXXI. Soli igitur principes iique, quos ceu imperantes in republica veneramur, sublimi iure dispensandi gaudent. Exulat imperium hic omne sacrum. Exulat distinctio inter iura *politica* & *Episcopalia*. Exulat respectus duplicis personæ principi affictæ. Contra asseruntur principi, quæ sunt principis: reuocantur ad sacratissimam eius maiestatem, quæ sunt maiestatis, iamque iure postliminii redeunt ad ipsam, quæ olim papa & Episcopi cum principum iniuria ad se traxere. Verbo: idem hodie iuris dispensandi in negotiis *ecclesiasticis* fons est, qui & in *ciuilibus*. Et quemadmodum potestatem ferendi leges & condendi statuta ecclesiastica inter summa principis regalia referimus: Ita etiam ius dispensandi siue in rebus *politicis*, siue in *ecclesiasticis* ex eodem fonte deriuamus. Nec est, quod dicas, ita vero disciplinam protestantium modernam mirum quantum a primitiua ista discedere ac differre. Vtut enim fateamur, esse aliquam inter utramque dissimilitudinem: *primo* tamen doctrina nostra Euangelio Christi, sacræ reuelationi, sanæque rationi conuenit. *Deinde* praxis ecclesiæ primitiuæ norma & mensura principum nostrorum vel ideo esse nequit, quia alia hodie ecclesiæ facies, alia, si statum externum spectes, forma & figura. Olim ecclesia ab infidelibus principibus opprimebatur: hodie a fidelibus gubernatur. Olim principes propterea ius suum circa sacra negligebant, quod & ipsa sacra cordi non habebant:

Hodie

Hodie principes cum cura religionis, vel maxime etiam iurium suorum curam suscepere. *Denique* etiam dubium non est, eundem olim iuris circa sacra habitum futurum fuisse, siquidem & idem Ecclesiæ antiquioris habitus fuisset.

SECTIO II.
DE
IVRE DISPENSANDI IN SPECIE.

CAP. I.
DE
IVRE DISPENSANDI IN NEGOTIIS CIVILIBVS SEV PROFANIS.

CONSPECTVS.

Ordo dicendorum. §. 1.

Qui facultate dispensandi gaudent, in genere sunt quilibet imperantes. §. 2

Speciatim in imperio Romano status, quin & nobiles immediati. §. eod.

Caueant vero imperantes, ne dum iure suo vtuntur, officii obliuiscantur. §. 3.

Dispensatio, quousque se extendat, anne etiam ad leges diuinas atque naturales? §. 4.

Mensuratur facultas dispensandi ex facultate ferendi leges. §. 5.

Generalissima diuisio dispensationum, ab obiectis petita, in ciuiles & sacras. §. 6.

Quantum ad ciuiles, dispensat princeps circa ius vel constitutum, vel violatum. §. 7.

Ius constitutum concernit vel statum hominum, vel bona eorum & negotia. §. 8.

Ad statum si respiciamus, dispensat princeps α. *natales restituendo.* §. eodem.

Quid legitimatio, anne etiam statibus imperii competat? §. 9.

Quinam legitimari possint. §. 10.

An reges principesque ipsi filios suos natu-

§. I.

Ordo dicendorum.

HActenus genuinum dispensantionis conceptum euoluimus, simulque fata dispensationum ex vtroque iure, inprimis *canonico* & *ecclesiastico*, ad haec vsque tempora nostra historice exposuimus. Iam ordo postulat, vt pro instituti ratione etiam obiecta & casus dispensationum enarremus. Ne vero nimium excrescat disputatio, a generaliori consideratione non nisi ad selectiora quaedam specialia descendemus, pauculis nonnullis tum de subiecto dispensante, tum & de modo mensuraque dispensandi praemissis, mox ad ipsam dispensationum diuisionem, specialioremque earum contemplationem progressuri.

Qui facultate dispensandi gaudent, in genere sunt quilibet imperantes.

§. II. Cui in genere facultas dispensandi competat, iam ex modo dictis praesertim *sect. I cap. II.* §. 30. abunde constat. Nimirum principes, iique, quos in republica ceu *imperantes* colimus, hoc sublimi iure fulgent. Speciatim vero quod ad imperium Romanum attinet, olim quidem notante SCHROETERO *d. dissert. de dispensat. sect. IV.* IMPERATORUM proprium fuit, dispensare. *leg. 4. 9. §. 11. leg. 2. 27. princ. ff. de poen. l. 12. & t. 1. ff. de sent. pass. l. 2. C. de prec. imp. off. l. 3. C. de episc. aud.* Hodie tamen, mutata prorsus imperii Romani forma, etiam STATUS IMPERII potestate dispensandi, tanquam nobili superioritatis territorialis parte, gaudent. Nec est, qui illam ipsis in dubium vocare audeat, praesertim cum iuratis caesarum capitulationibus eiusdem confirmationem obtinuerint. Quin nec nobiles immediati, quibus & ipsis superioritas territorialis a viris praestantissimis v. gr. SCHUZIO, REINKINGIO, BIDENBACHIO, BURGOLDENSI, de LENDERSHEIM, FRITSCHIO, LIMNAEO, FROMMANNO, HERTIO, LYNCKERO, MAURITIO, COCCEIO, TEXTORE, TITIO, aliisque adiudicari solet, ab hoc iure excludi possunt. Quiqui ergo sublimem iurisdictionem possident, siue dein principes imperii sint, siue magistratus imperialium ciuitatum, de quibus nominatim CARRZOV. *prax. crimin. p. III. qu. 150. n. 19.* & KNIPPSCHILD *in suo tract. de iur. & priuil. ciuit. imperial. l. 2. c. 27. n. 1.* siue nobiles immediati, ii omnes sublimi quoque dispensandi iure in suis *territoriis, ciuitatibus,* & *pagis* gaudent.

Speciatim in imperio Romano status, quin & nobiles immediati.

Caueant vero imperantes, ne dum iure suo vtuntur, officii obliuiscantur.

§. III. Id tantummodo cauendum, ne status, qua pollent, potestate temere abutantur. Vti enim in omnibus rebus & negotiis, ni modum teneas, facile excessus fiunt: ita & hic, cum circa leges poenasue dispensatur, modus omnino adhibendus, ne dum legis duritiem dispensatione mitigamus, ipsam legem nimia forte indulgentia in ludibrium vertamus. Scilicet hic *officium principis* cum ipsius *iure* oportet combinare; atque vti iuris exercitium iustitiae limites nunquam transilire, ita etiam officium eius secundum regulas prudentiae perpetuo administrari debet. Sine dubio autem nec iuste, nec prudenter acturus esset princeps, qui nulla urgente necessi-

cessitate, nullaque provocante publica vtilitate, (*a*) legem pro lubitu auderet relaxare. *Nam qui vni indulget indigno, plurimos facit ad prolapsionis contagium prouocari. Facilitas enim veniae incentiuum tribuit delinquendi.* AMBROSIVS *in decreto Gratiani c.33. c.XXIII. qu. 4.* Inprimis autem circa poenarum remissiones valde prospiciendum est, ne ex istarum frequentia vilescant leges. Magna enim peccandi illecebra est spes immunitatis, & veterem ferendo iniuriam princeps facile novam provocat. Neque etiam secundum desperare solet effugium, qui laqueum prioris criminis euasit.

§. IV. Ille vero nimius plane, neque ulla ratione excusabilis iuris dispensandi abusus foret, si quis imperantium etiam in leges & præcepta Dei inuolare, earumque dispensationem sibi temere arrogare vellet. Magnum sane hoc religionis contemptum proderet in principe, nec minorem in æstimandis potentiæ suæ viribus inscitiam. Probe itaque tenendum, leges diuinas atque naturales, stricte ac proprie sic dictas, (*b*) omnem prorsus respue- *Dispensatio quousque se extendat, anne etiam ad leges diuinas, praesertim naturales?*

(*a*) Quaestio hic institui posset, num princeps iustas semper dispensandi causas habere debeat? Ita quidem communiter statui ac sentiri solet. v. H. GROTIVS *d. I. B. & P. L. II. c. XX. §. 24. n. 3.* cuius sententia causae probabiles ad omnem dispensationem requiruntur. In alia tamen sententia versari videtur B. ZIEGLERVS, quando in *de I. M. L. I. c. 7. § 3.* diserte asserit, *posse principem etiam sine causa quandoque dispensare.* Sed distinguendum hic putamus inter causas *gratiae*, & causas *iustitiae.* Has vtique abesse posse, nemo negauerit, & de his videtur loqui etiam ZIEGLERVS *l. c.* Illas autem semper requiri & praesupponi arbitramur. Nisi enim probabili quadam causa principis gratia nitatur, is dissipare potius, quam dispensare dicendus est. Deinde & negotia, in quibus dispensatio fit, probe distinguenda veniunt. Prout enim maioris momenti atque ponderis negotium aut delictum est, eo grauiores quoque ad relaxationem legis impetrandam causae, adesse debent. In iis vero, quae vel nullius, vel leuissimi saltem momenti sunt, poterit vtique princeps eo securius dispensare.

(*b*) Ostendit tamen DN. THOMASSIVS, quo sensu admitti possit, quod princeps

respuere dispensationem, adeo, vt ingens piaculum committat, & anti-Christi similis euadat, quisquis in legibus diuinis, iis maxime, quas naturae appellamus, dispensare ausit.

Mensuratur facultas dispensandi ex facultate ferendi leges.

§. V. Itaque facultati dispensandi iusta mensura statuenda: iusta illi assignanda norma, iustique limites figendi sunt Vin', vt omnia dicamus paucis? Potestas ferendi leges est etiam mensura potestatis dispensandi. (c) Quousque igitur illa se extendit, eo etiam haec porrigitur; vbi vero illa desinit, ibi nec haec operosa erit. Videlicet facultas dispensandi est sequela *potestatis legislatoriae*, ideoque frustra potentiae suae limites transgreditur in legibus dispensandis, qui eos agnoscere cogitur in legibus ferendis. Interea, vt ex vna parte limites terminosque dispensationum aduertere necesse est: ita e contrario ex altera etiam earum amplitudinem obseruare licet, idque ex eodem rursus fundamento, siquidem potestas dispensandi cum potestate legislatoria, vt dixi, commensuratur.

Generalissima diuisio dispensationum, ab obiectis petita, in ciuiles & sacras.

§. VI. Luculentius manifestiusque hoc patebit, si ad ipsam dispensationum diuisionem propioremque earum considerationem accedamus. Variae autem dispensationum diuisiones prostant, aliis hanc, aliis aliam considerandi viam ingredientibus. Nobis illa quam maxime arrisit, qua intuitu *obiectorum* generalissime sumtorum dispensationes ita dispescuntur, vt aliae *ciuiles* siue *seculares*, aliae *sacrae* seu *ecclesiasticae* dicantur. Vti enim potestas legislatoria in genere spectata vel circa ipsam ciuitatem resque eo pertinentes, vel in ciuitate

ceps circa ius naturae dispensare valeat. Distinguit enim inter regulas *iusti* & regulas *decori* & de his a principe dispensari posse, docet in dissert. *de statuum imperii potestate legislat. contra ius commune §. XXX. sqq.*

(c) Elegantissime ZIEGLERVS *l. c.* *Vt*, inquit, *vnico verbo definiam, quid principi in dispensando liceat, sciendum est, aeque late hanc potestatem patere cum potestate legislatoria. In quibuscunque ergo deficit* νομοθεσία, *in illis deficit etiam & locum non habet dispensatio, ob solidam sc. rationem, quia dispensatio partem constituit potestatis legislatoriae.*

vitate circa ecclesiam atque res huic peculiariter dicatas occupata est: ita & potestas dispensandi satis commode distingui potest, ceu alia in negotiis *ciuilibus*, & alia in negotiis *ecclesiasticis*.

§. VII. Quantum igitur ad causas & negotia *ciuilia*, quibus breuiter perlustrandis praesens caput est dicatum, spectat; Princeps dispensare potest circa ius vel CONSTITVTVM, vel VIOLATVM, seu quod eodem redit, ius dispensandi sese exerit vel in ACTIBVS LICITIS, vel in DELICTIS. Vtrouis modo consideratum illud iterum in plusculos sese diffundit ramos. De singulis vero dispensationum speciebus hic tractare, nec temporis, cuius angustia nos vrget, nec praesentis instituti ratio permittit. Itaque nobiliores saltim attingendae & cum nec has prolixius diducere institutum ferat, quantum ad rem sufficere videbitur, de singulis aliquid decerpendum erit. *Quantum ad ciuiles, dispensat princeps circa ius vel constitutum, vel violatum.*

§. VIII. IVS CONSTITVTVM, in cuius sinu omnes *actus liciti* continentur, iterum concernit vel STATVM hominum, vel *bona* eorum & NEGOTIA. Ad *statum* si respiciamus, dispensat Princeps I. NATALES RESTITVENDO. Peculiari nomine haec dispensantionis species LEGITIMATIO vocari solet. Vti vero iure civ. Romano tres legitimandi modi occurrunt, vnus per oblationem curiae §. *vlt. instit. de nupt. l. 3. C. de nat. lib.* alter per matrimonium subsequens *d. §. ult. l. 9. l. 10. C. eodem.* tertius per rescriptum principis *nov. 74. c. 2.* & *nov. 89. c. 9.* ita & facile patet, de vltimo tantum modo nobis hic sermonem esse. Circa hunc ipsum vero, cum multa in disceptationem venire soleant, nos sententiam nostram ita efferemus. *Ius constitutum concernit vel statum hominum, vel bona eorum, & negotia. Ad statum si respiciamus, dispensat princeps α. natales restituendo.*

§. IX. In se spectata *legitimatio* est regale imperanti, qua tali, competens & proinde etiam in quavis republica a quouis imperante secure exercendum, id quod etiam de omnibus securis dispensationum speciebus probe tenendum est. Sed quaeritur I. de imperio Romano, *an & STATIBVS IMPERII legitimandi potestas vindicari possit?* siquidem illam inter reseruata caesaris, a quo vt plurimum per comites palatinos exercetur, vulgo numerari, constat. Nos cum B. TITIO *in I. P. Rom. germ. L. VI.* *Quid legitimatio? anne etiam statibus imperii competat?*

L. VI. c. XIII. §. 4. hanc poteſtatem etiam ſtatibus Imperii, inprimis maioribus, ſine ulla haeſitatione tribuimus, ea tamen appoſita cautela, quod eiusmodi legitimatio a ſtatu impetrata, vltra territorium legitimantis haud valeat. Et ſane abſurdum foret iis legitimandi poteſtatem abiudicare, quibus leges ferendi facultatem oppido vindicant omnes iuris publici doctores. vid. B. IO. SAM. STRYCKIVS *in diſſert. de legitimat. liberorum nat. reg. & princip. c. IV. p. 83.* Conſultius tamen fieri concedimus, ſi in ſecuritatem legitimatorum, etiam extra patriam pro talibus agnoſcendorum, legitimationi principum CÆSAREA quoque adiungatur, aut haec ſaltem ſi fieri poſſit, præ illa imploretur. conf. TITIVS *l. cit.* vt & celeberrimus DN. SCHWEDERVS *introduct. in I. Publ. P. ſpec. c. XVI. §. 8.*

Quinam legitimari poſſunt?

§. X. Quæritur II. *quousque haec legitimandi poteſtas intuitu illorum, quibus natales reſtituendi, ſe extendat?* Iure Romano legitimantur tantum liberi naturales i. e. ex concubina ſuſcepti. *§. 2. Inſt. de hered. quae ab inteſt.* ſed hodie omnes illegitime nati, etiam adulterini & inceſtuoſi, quod fruſtra ex rationibus ciuilibus a nonnullis impugnari oſtendit laudatus TITIVS *in obſeruatt. Lauterbach. obſerv. 28.* (d) Subeſt etiam manifeſta aequitas, nam liberi, ex turpiſſima licet coniunctione oriundi, nihil peccarunt, atque hinc fortuna eorum magis miſeranda, quam miſerior reddenda, ne melioris conditionis deſperatio ad paternorum ſcelerum imitamen fiat irritatio; conf *c. 13 X. qui filii*

(d) Inter diſſentientes eminet STRAVCHIVS *exercit. IV. §. 3. vbi is opponit* (1) omnem clementiam liberis illis negari *74. c. vlt.* (2) legitimationem ex fictione matrimonii procedere, cum adultera autem matrimonium fingi non poſſe, iure divino polygamiam prohibente. Verum illa ſaltim oſtendunt, in quantum & quo modo imperantibus Romanis imperium heic exercere placuerit, aliorum vero imperantium imperio ac libertati obicem nec ponunt, nec ponere poſſunt. Quod autem de fictione affertur, illud prorſus fictitium eſt, ſiquidem omnis illa fictionum Romanarum, quae iactari ſolet, praeſtantia futile & inane figmentum eſt iudicio B. TITII *I. P. Rom. Germ. L. I. c. IX. de fictionibus legum.*

filii sunt legit. vbi ostenditur, *cum quibusdam minus legitime genitis, non naturalibus tantum, sed adulterinis etiam, fuisse dispensatum.*

§. XI. Quaeritur III. *an reges & principes ipsi filios suos naturales legitimare possint?* Et de iis quidem principibus, qui extra imperium Romanum viuunt, vt & de CAESARE ipso, superiorem se neminem agnoscente, res plana est atque expedita. Ita enim a *regibus exoticis*, Galliæ, Hispaniæ, Portugalliæ, Angliæ, Scotiæ, Daniæ, Norwegiæ, Sueciae & ab imperatoribus haud paucis, filios naturales, spurios vel Bastardos alias vocatos, publice legitimatos, eosque non ad summa modo honorum fastigia, sed & ad ipsius successionis culmen persaepe admissos esse, infinitae fere historiae clamant. v. STRYCKIVS *dissert. cit. III.* At de statibus & principibus imperii Romani videtur quaestio esse paulo implicatior. Sunt tamen, inter quos STRYCKIVS TITIVSque *ll citt.* eminent, qui hanc legitimandi facultatem statibus haud abiudicandam censent, interim satius esse, rati, si principes ad praecauendas lites atque disputationes, num eiusmodi legitimati etiam extra territoria parentum pro talibus habendi sint? liberos suos naturales IMPERATORI legitimandos offerant. conf. SCHWEDER *l. cit. c. XVI. §. 9.*

An reges principesque ipsi filios suos naturales legitimare possint?

§. XII. Restat IV. vltima eaque nobilissima quaestio *de effectu legitimationis & maxime de eiusmodi legitimatorum iure succedendi etiam in feuda.* Vexatum enim praeclarumque inter iuris Feudalis interpretes argumentum est, quo inquiritur, num liberi naturales, natalibus restituti, per hanc ipsam legitimationem etiam capaces fiant successionum in feudis? Regulariter quidem naturales atque spurios omnesque illegitimos liberos tam communia feudorum placita *in II. Feud. 25. §. naturales*, quam sanctio Carolina *in A. B. c. 7. §. 2.* ibi: Der ein recht Ehe-Kind ist, & mores patrii ab imperialium feudorum successione excludunt; difficilior autem impeditiorque quaestio euadit, cum de eo, quod extra ordinem fit, fierique potest, disceptatur. Tangit autem quaestio feuda imperii (1) *maiora* (2) *minora.* Et circa *haec* quidem communis doctrina est, etiam ab eorum successione naturales regulariter arceri, nisi tamen nominatim & specifice in instrumento legitimationis ab

De effectu legitimationis & maxime de eiusmodi legitimatorum iure succedendi, etiam in feuda.

Tangit quaestio tum feuda imperii minora.

ab ipso feudi domino, aut certe eo & agnatis consentientibus a Principe ad feudum legitimentur, vid. LAVTERBACH. *coll. pand. L. I. tit. VI. §. 31.* & SCHWEDER *l. cit.* id quod ipsum etiam de feudis *merę haereditariis* in vniuersum admittendum. Imo in hæc a filiis naturalibus, etiam non legitimatis, succedi posse, non abs ratione iudicat STRYCKIVS *differt. cit. c. III. §. 127.* Potissimae difficultates circa feuda imperii *maiora* v. gr. Ducatus & Comitatus titulatos emergunt. Et quantum ad eos attinet, qui per subsequens matrimonium legitimantur, hos non obstante *II. Feud. 26. & cit.* ex more & obseruantia imperii etiam in feudis regalibus atque titulatis, siue sint soli, siue cum aliis filiis concurrant, tuto succedere, confidenter asserit, MYLERVS ab EHRENBACH *in gamolog. c. 24. §. 3.* & cum eo plures alii ab ITTERO *de feudis imp. c. XIV. §. 2.* recensiti. Videas tamen, qui contradicant apud ITTERVM ibidem. Vt iam controuersiam intricatam, an per subsequens matrimonium legitimati aliis legitime natis, sed aetate sequioribus, praeferri queant, taceamus. Ecquid vero de illis, qui *per Principis* RESCRIPTVM natalium restitutionem obtinent, erit pronunciandum? Sunt, qui nec *expressa* CAESARIS legitimatione illos successionis in feudis *maioribus* capaces reddi posse asseuerant. Sunt vero etiam, qui licet concedant, qualicunque CAESARIS, etiam NB. *ad REGALEM DIGNITATEM*, (*e*) legitimatione, ius succedendi in feuda illustria non conferri, eum tamen casum, quo de expressa CAESARIS, non *ad regalem modo dignitatem*, sed ad *ipsam quoque in feudis illustribus successionem* legitimantis, voluntate constat, exceptum volunt. Et huc pertinet ITTERVS *l. c. §. 7.* Nec sane rationes ab ipso allatae de nihilo videntur. Quanquam enim ita aliquid in praeiudicium agnatorum fieri, eorum-

Tum inprimis etiam maiora.

Quaestiones intricatae ex iure feudali,

(*e*) Præsumitur enim CAESAR nihil facile praeter consuetum ordinem & hactenus obseruatam consuetudinem moliri. Iam cum principis comitisue dignatione censeri possit, qui tamen principatu destituatur, nec in eodem ad successionem admittatur, non opus est, vt qualitercunque ad regalem dignitatem legitimatis etiam successio in feuda regalia adiudicetur.

eorumque ius quaesitum laedi dicas, vera tamen laesio non est, vbi saltim in praeiudicium iuris minus pleni atque imperfecti quid statuitur, cum regula illa, quod nihil contra ius quaesitum tertii agendum sit, saltim ius subditorum plenum & perfectum, quale in agnatis non occurrit, (*f*) respiciat. Denique si expressa CAESARIS ad successionem legitimatio ideo non valet, quod per eam agnatis praeiudicium adcrescit, ex eadem ratione nec iis quoque liberis, qui per subsequens matrimonium legitimantur, successio deferenda foret. Sane etiam, vt loquitur ITTERVS *l. c.* matrimonium absolute & in se spectatum nec liberos hactenus naturales legitimare, nec feudatariam successionem iis tribuere, nec quemcunque alium ciuilem effectum producere potest, sed potius, quicquid agit, quicquid hic operatur, virtuti legis ciuilis, & qui hanc sanciuit, summo principi imputandum est. Quod si ergo lex *per subs. matrimonium legitimatos* ad omnem successionis feudalis effectum idoneos reddere potest agnatis frustra reclamantibus, sibi praeiudicium fieri; cur non idem etiam princeps, lex viua, & fons iuris *rescripto suo speciali*, quod & ipsum vim legis obtinet, mandare possit?

De legitimatione spuriorum illustrium, an a papa peti debeat?

§. XIII. Longiores haec in ius feudale digressio moras traxit. Vnicam adhuc ex innumeris aliis quaestionem *circa summi pontificis in legitimando potestatem* attingemus. Certe, si vlla dispensationis species, haec prae aliis abusibus papalibus valde contaminata fuit. Nihil iam dicemus de vniuersali illa, quam pontifex praetendit, canonistae ipsi vendicant, circa

 spiri-

(*f*) Scilicet horum ius multis adhuc casibus fortuitis obnoxium, adeoque imperfectum est. Quid si enim forte liberos ex legitimo matrimonio nasci contingat? Tum certe agnatis omnis ad successionem feudalem aditus absque omni controuersia adhuc praecluderetur. Imo nec liberorum legitimorum ius quaesitum adeo plenum & perfectum est, quin princeps ex plenitudine potestatis, etiam in ipsorum praeiudicium, modo pater in libello supplici horum mentionem faciat (alias dispensatio subreptitia censetur) naturales legitimare possit, ita sentiente *K.* ZIEGLERO *in d. I. M. L. I. c. X. §. 6.*

ſpiritualia v. gr. beneficiorum & ordinum capacitatem, diſpenſandi adeoque & legitimandi, facultate, quod quidem commentum, ex epiſcopatu oecumenico & dominatu Hildebrandino ortum, a noſtris dudum proſcriptum fuit atque conculcatum. Etiam illud quaeri coepit, an legitimatio ſpuriorum, praeſertim illuſtrium, a papa peti debeat? Sed quam inique papa in iura temporalia, ſpeciatim feudalia, ſub quocunque praetextu involet, egregie expoſuerunt tam PETRVS de MARCA *in concord. S. & I. L. II. c. 3.* quam STEPH. BALVZIVS in notis inibi ſubiunctis. Notabilis eorum commentatio eſt, tum ad factum INNOCENTII III. filios naturales PHILIPPI AVGVSTI Francorum Regis, ipſo ita petente, legitimantis, tum ad eiusdem INNOCENTII conſtitutionem, reſponſionis loco Wilhelmo comiti Montispeſſulani, ſimile quid a papa flagitanti, datam. Exinde enim perſpicitur, etiam ipſum INNOCENTIVM ingenue faſſum fuiſſe, ſedi apoſtolicae nullam prorſus inuitis principibus circa temporalia competere iurisdictionem. Et certe meretur dicta conſtitutio INNOCENTII inter epiſtolas decretales in *c. per venerabilem 13. X. qui filii ſint legit.* relata, integra euolui. Caeterum agnoſcimus, pontificem vi Maieſtatis, quam, iure an iniuria? hic non diſputamus, in multis Italiae ditionibus hodie obtinet, valide vtique etiam circa temporalia diſpenſare & per conſequens legitimare poſſe, ita tamen, vt extra prouincias ipſi ſubiectas haec poteſtas non protendatur. Tandem & id notandum, eundem pontificem Romanum, dum ſpurios perſaepe epiſcopatuum capaces diſpenſando reddit, hoc pacto ſimul indirecte, & quaſi per conſequentiam hodienum etiam circa feuda imperii maiora diſpenſare, eo nempe in caſu, quo ſpurii a papa legitimati ad epiſcopatus, (g) quibus regalis dignitas annexa eſt, euehuntur. V. DESSEL *in erotem. I. canon. lib. IV. tit. 16. n. 5.*

§. XIV.

(g) Eiusmodi vero caſus non adeo inſolentes eſſe, ex hiſtoria commonſtrat etiam poſt funera colendus STRYCKIVS *in d. diſſert. de iure liberor. natur. Reg. & princip.* Vt ex multis, quae ibi adducuntur, exemplis, vel

§ XIV. Dispensat princeps II. AETATIS VENIAM CONCEDENDO. Noua hæc, nec ignobilis dispensationis species est, quæ in ætatis venia versatur. Per hanc enim princeps *minori* tribuit ius legitimæ ætatis, vt ipsemet rebus suis præesse & absque curatore bona sua administrare possit. Et sic, quod lege communi negabatur, minor ex gratia principis consequitur. In imperio Romano CÆSAR hoc ius, præsertim quoad concessionem veniæ, quæ fit principibus & comitibus ad capessendum ducatuum & comitatuum suorum regimen, sibi soli asserit, & hactenus quoque, notante SCHWEDERO, sine controuersia solus exercuit. Aliis autem inferioribus subiectis quin electores cæterique imperii principes & status, imo & nobiles immediati, veniam ætatis vi superioritatis territorialis largiri queant, eo cum effectu, vt intra territoriorum fines pro maioribus agnoscantur, non dubitare finit quotidiana praxis v. SCHWEDERVS *l. cit.* Nec dubium quoque remanet, quin iidem principes ex plenitudine potestatis territorialis eiusmodi veniam etiam iis indulgere queant, qui vigesimum ætatis annum, si mares, & decimum octauum, si foeminæ sint, nondum egressæ sunt; contra quam statutum est *in l. 2. in princ. & §. 1. c. de his, qui ven.* Hodie in permultis locis etiam magistratus veniam ætatis indulgere solent. Verum fit illud non ex iurisdictione ordinaria, sed ex delegatione speciali. v. ZIEGLER. *alleg. c. XI. §. 2.* & LAUTERBACH. *coll. pand. L. IV. tit. 4. §. 6. 7.*

Dispensat princeps β. aetatis veniam concedendo.

§. XV. Dispensat princeps III. TVTELAM MATRI AD VOTA SECVNDA TRANSEVNTI PERMITTENDO. In matre tutelam liberorum suscepturа requiritur habilitas *nov. 118. c. 5.* Inprimis vero illi secundæ nuptiæ obstant per *nouell. 94. c. 2.* sed hoc legis obstaculum, vti cuncta alia,

γ. Tutelam matri ad vota secunda transeunti permittendo.

vel vnicum tangamus, constat, Matthæum LANGIVM, Welleburgium, Maximiliani I. ex LANGA, Patritia Augustana, filium naturalem, Archi-Episcopali mitra Salisburgi ornatum fuisse. Quin nec sacrum purpuratorum Collegium, tandemque etiam ipse summus pontificum Romanorum ordo, a spuriis, identidem ad purpuram quin & ad ipsum solium papale euectis, plane immunis fuit, ceu exemplo Clementis VII. pluriumque Cardinalium idem comprobat ibidem.

alia, qualeſ v. gr. *ne in iudiciis ſine curatore agat*, diſpenſatione principis remoueri poſſe, quis dubitabit? modo citra ſub- & obreptionem fuerit obtenta h. e. cum debita cauſae cognitione.

δ. Adoptionem inutilem confirmando.

§. XVI. Diſpenſat IV. ADOPTIONEM INVTILEM CONFIRMANDO. Ita foeminae lege ciuili adoptare prohibentur *l. 5. C. de adopt. l. 30. §. 3. de inofficios teſt.* Ex indulgentia tamen principis iis fuit diſpenſatum. *§. 10. inſtit. de adopt. nouell. leon. 27.* Pariter caſtratis ab adoptione interdictum. Sed diſpenſationis gratia offertur *nouell. leon. 26.* Proſtant & aliae multae iuris ſolennitates circa adoptionem & arrogationem obſeruandae, circa quas itidem a principibus non modo in genere, ſed & in ſpecie a ſtatibus imperii diſpenſari poſſe, agnoſcit HOPPIVS *comment. ad Inſtit. tit. de adopt. p 107.* Atque inde etiam, eodem HOPPIO referente, ampliſſima facultas Francofurt. reſpondit *d. 22. April. 1674.* adoptionem minus legitime factam poſſe vtique a principe confirmari, & filiae adoptatae ſucceſſionem aſſignari. Alia praeiudicia habentur apud RICHTERVM *de ſucceſſ. ab inteſtat. ſect. I. memb. 3. n. 16.* conf. B. STRYCKIVS *in vſu moderno h. tit. §. 4. & ſqq.* Sic etiam ius confirmandi arrogationes, non rite factas, inter regalia referri videas a CONR. AB EINSIDEL *in de regal cap. II. n. 71.*

ε. Inhabilem ſcienter ad officia publica admittendo.

§ XVII. Diſpenſat V. INHABILEM SCIENTER AD OFFICIA PVBLICA ADMITTENDO. Inhabilis autem dicitur, qui v gr. leuis notae macula laborat. Haec enim producit inhabilitatem conſequendi dignitates, aliaque iura praeſtantiora, ex ſordido vitae genere, vel infelici natiuitate prouenientem, definiente TITIO *l. priu. R. Germ. l. III. c. 3. §. 24.* Macula illa laborant ſpurii *c. 13. X. qui filii ſint legit.* carnifices, excoriatores & quibusdam in locis lictores, LAVTERBACH. *l. cit. L. III. tit. 2. §. 32.* Iam ſi ex eiusmodi maculatis princeps ſcienter quosdam publico muneri admoueat, hoc ipſo eius maculam abſterſiſſe, & circa legem a dignitatibus iſtos excludentem diſpenſaſſe credendus eſt. Inprimis quod ad ſpurios attinet, tacita hic ſubeſſe legitimatio cenſetur. Hinc & B. STRYCKIVS *in vſu mod. pand. L. 1. tit. 6. §. 19. Quod ſi vero*, inquit, *ſpurius conſtitue-*

ſtitueretur a principe ſciente, tacite ipſum legitimatum eſſe dicerem. Cum enim non niſi honeſtis natalibus editi in ſenatorum ſortem admittantur, princeps ſine dubio volendo conſequens, antecedens quoque, ſcil. legitimationem voluiſſe cenſendus eſt, praeſertim cum hoc ſit in eius poteſtate. Idem & forte plus de infamia ſiue *iuris,* ſiue *facti* dicendum eſt. Hanc enim longe maximam ad conſequendas dignitates inhabilitatem operari, in vulgus conſtat. Quod ſi ergo nihilominus contingat, vt homo infamis principis indulgentia officio præſtantiori praeficiatur, per hoc ipſum illi fama reſtituta credenda eſt. Solet autem *famae reſtitutio* & ipſa quoque inter excellentiores diſpenſationum ſpecies referri. In imperio Rom. inter reſeruata CAESARIS illa vulgo numeratur, ſed quod ſtatibus etiam in territoriis ſuis competat, affirmare non dubitant RHETIVS *l. I. P. lib. III tit. 9. §. 15.* & TITIVS *ſpecim. I publ. L. III. c. 5. §. 38.* Conf. DN. SCHWEDER. *loc. cit. c. XVI.* qui & ipſe famae reſtitutionem tacite fieri agnoſcit, ſi IMPERATOR vel princeps reum infamia laborantem, huius defectus NB. conſcius, ad dignitates & officia, ad quae nemo niſi illibatae famae alias admittitur, promoueat, vel ab officio non remoueat.

§. XVIII. Diſpenſat VI. IVDAEOS RECIPIENDO. Vti enim hi ex mera gratia & miſericordia inter Chriſtianos tolerantur, ita inde factum eſt, vt ius recipiendi Iudaeos Regalibus adſcriberetur tanquam actus gratiae & diſpenſationis, (*b*) cum alias iure ordinario eſſent expellendi. vid. *Magnif.* *ζ. Iudaeos recipiendo.*

 DN.

(*b*) Fateor, ſi iuxta *Sect. I. c. I. §. 10. ſqq.* ἀκριβῶς hic agere, & diſpenſationis a priuilegio differentiam probe ſeruare velim, receptionem Iudaeorum potius inter *priuilegia*, quam *diſpenſationes* ſtricte dictas, pertinere, ſiquidem talis eorum receptio intelligatur, quae etiam ad *perpetuam* habitationem & domicilii iura ſe extendat. Interim alio tamen ſenſu, quo ſaltim conceſſionem v. gr. tranſitus per Territorium, ingreſſus in vrbem, pernoctationis, & ſimilium actuum, qui tamen ipſi quoque variis in locis lege Iudaeis interdicti ſunt, ſub ſe comprehendit, inter *ſtrictas* diſpenſationis ſpecies numerari poterit. Deinde *aliae* etiam

DN. PRAESES *in dissert. de cauta Iudaeorum tolerantia* §. 10. Olim quidem & hoc ius CAESARES in imperio Rom. sibi solis vindicabant; Fuit tamen istud iam in A. B. *c. 9.* Electoribus communicatum, tandemque etiam in reliquos status (*i*) deriuatum, vnde in *Reform. polit. de a. 1548.* Setzen ordnen und wollen wir, daß fürohin niemand Juden aufzunehmen oder zuhalten gestattet werden solle, dann denjenigen, die von uns und dem heiligen Reich Regalia haben, oder NB. insonderheit derhalben priuilegiret sind. Ex quo *singulari priuilegio* nobiles imperio immediate subiectos receptionis iure gaudere non immerito opinatur DN. LOCHNERVS in dissert. sub praesidio *illustr.* DN. WILDVOGELII *de Iudaeorum receptione ac tolerantia Ienae a. 1700.* habita. Quanquam ad eiusmodi priuilegia vt anxie confugiatur, necesse non sit, cum ius recipiendi Iudaeos tutius ex superioritate territoriali, quam & nobilitati immediatae a quam plurimis tribui solere, supra iam innuimus, deducatur, ita censente VITRIARIO *I. I. P. III. tit. 17. §. 81. sqq.* Caeterum quod diximus de Iudaeis, id quo sensu modoque etiam ad haereticos quoscunque

que

(*) etiam circa Iudaeos *dispensationes* occurrunt v. gr. cum iis indulgetur, vt nomen Albo Academico inscribere, musis in Facultate medica operari, ad insignia doctoratus tandem adspirare, vel & ex singularissima principis concessione, *gladio*, honoris signo, vti queant, qualia dispensationum exempla, vtut rariora, hic tamen obuenire nouimus.

(*i*) Nonnulli tamen statuum adeo religiosi sunt, vt hoc iure nunquam vti voluerint. Inprimis celebrari solet memorabile effatum pientissimi WVRTEMBERGIAE Ducis, CHRISTOPHORI, ad aulicum dicentis: Wenn diese verfluchte Leute mir wolten Geld voll aufgeben, wolte ich sie doch in meinem Fürstenthum, weil sie an meinem Bruder und Erlöser JEsu Christo treulos worden, und öffentliche Zauberer sind, nicht leiden. V. LOCHNER. *dissert. cit.* & LVD. GILHAVSEN *in arbore iudiciar. P. I. c. 1. n. 70.* Quin a. 1573. Norimberga a Maximiliano II. contra receptionem Iudaeorum priuilegium obtinuit, non obscuro, quod auguror, indicio, olim imperatores, hoc Regale suum strenue exercentes, nonnunquam eiusmodi receptionem etiam inuitis statibus, praesertim minoribus, obtrusisse.

que, quibus per leges imperii publicas de tolerantia haud prospectum est, applicari debet.

§. XIX. A STATV hominum properamus ad BONA ET NEGOTIA EORVMDEM. Vti enim etiam circa hæc ius constitutum versatur, ita & dispensandi ratio in iisdem locum invenit. Sunt autem negotia hominum vel EXTRAIVDICIALIA, vel IVDICIALIA. Illa vel *inter viuos*, vel *mortis causa* celebranda. Sic de negotiis pactis & contractibus inter viuos occurrentibus, variae iterum quaestiones moueri possent. Ex multis adducamus vnam. Quaeritur: *an princeps dispensare possit in contractu nulliter celebrato, ita vt valeat in praeiudicium tertii?* Nouimus enim ex præscripto iuris civ. ad varii generis actus valide ineundos varia iuris solennia constituta esse, quibus neglectis isti pro nulliter celebratis haberi solent. Quanquam vero dispensationem principis in eiusmodi *contractu* ob defectum requisitorum *nullo*, ad praeiudicium tertii extendere non audeamus, cum iniquum foret in alterius fauorem iura tertii plene & legitime quaesita violare. v. ANTON. de PETRA *de iure quaesit. non toll. per princ.* putamus tamen, posse vtique principem ante initum contractum quaedam remittere, sine quibus contractus alias ex legibus provincialibus non substitisset. conf. TITII *I. Priu. L. I. c. VIII.* vbi species contractuum nulliter celebratorum recenseri videas.

Negotia sunt vel extraiudicialia, vel iudicialia.

Illa vel inter vivos, vel mortis causa.

Quid princeps possit circa contractum nulliter celebratum?

§. XX. Inter negotia *mortis causa* inprimis TESTAMENTA occurrunt. Quantum circa horum solennitates princeps dispensando valeat, ii facile intelligent, qui vires statuum in ferendis contra ius Romanum legibus satis aestimare norunt. vid. ill. DN. THOMASSIVS *in laudata dissertat. de statuum imp. potestate legisl. contra ius commune §. 71. sqq.* Ita ignorari nequit, ex indulgentia principis dari testamenti factionem pupillis, de quo vide B. STRYCKII *tract. de cautel. Testam.* Eandem olim etiam surdis & mutis principali rescripto concessam fuisse, supra *sect. I. c. I. §. 7.* docuimus ex *l. 43. de vulg. & pupill. substit.* Quid intuitu Episcoporum quondam obtinuerit, & hodie quoque inter Romano-Catholicos obtineat, eleganter

Quid circa testamenti factionem?

pro

pro more suo edisserit Magnif. DN. PRÆSES *in I. E. protest. L. III. tit. XXIV. de peculio clericorum.* Scilicet his lege civili a testatione interdictum est. v. *leg. 2. Cod. de Episc. & Cler. & leg. 42. §. 2. c. eodem.* Indultu tamen papali, cuius exemplum in episcopo Hildesiensi, IODOCO EDMVNDO, a. 1691. occurrens attulit STRYCK. *tract. cit. de cautel. Test. in append. n. 10.* istis illa concedi assolet. Quod ipsum vero neque ratione inter dicti, neque ratione indulti, ad episcopos protestantium applicari posse, per se liquet.

Pergitur ad negotia iudicialia, quorsum pertinent (1) actiones de literis respirationis.

§. XXI. Pergamus ad negotia IVDICIALIA. Potentem heic iterum principis in dispensando tam circa *actiones* in iudiciis feruentes, quam circa ipsa *iudicia* & *processus* manum esse, haud difficulter monstrabitur. Et ad ACTIONES quidem quod attinet, ad illas v. gr. contra debitores infortunio depauperatos sistendas atque suspendendas princeps debitoribus ex gratia & misericordia subvenit, iis *literas respirationis*, quas cæteroquin *moratorias, dilatorias, induciales, quinquennales* &c. appellitant, concedendo, adeoque contra legem, quæ promtam alias a debitoribus solutionem exigit, dispensando. Etenim *literæ respirationis* nihil aliud sunt, quam beneficium debitoribus, non sua culpa, sed fortunæ vitio obaeratis, superioris rescripto concessum, ne intra spatium determinatum ab iis quid petatur. Sunt ergo dispensatio a lege, quæ debitoribus elapso tempore conuentionis promtam iniungit solutionem. vid. *dissertatio de literis respirationis* sub umbone Magnif. DN. PRÆSIDIS nouissime defensa. *c. 11. §. 2.* vbi & ostenditur, hunc dispensandi actum hodie ad omnes omnino imperii status in suis territoriis pertinere, ac proinde haud satis commode inter reseruata Cæsarea referri, quanquam ius ipsum Cæsari denegare nefas foret, siquidem priuilegiis subiectos ordinum afficere imperator non prohibetur, modo iuri ordinum per ista nihil detrahatur. MONZAMBAN. *de statu imp. germ. c. V. §. 6.*

(2) Iudicia & processus.

§. XXII. Quantum autem ad iudicia & processus ipsos, circa hos dispensandi potestas sese exerit, eos vel *immutando*, vel *abolendo.* Eos inquam I. *immutando.* Notum est plerasque causas ciuiles iuxta ius non modo commune, sed & leges ac statuta prouincialia processu ordinario, prolixo isto atque in-

finitis

finitis subtilium solennitatum tricis scabro, discuti solere. Atque hæc quidem peculiaris Germaniæ nostræ infelicitas est, quod, ex quo semel ius canonicum in fora tam secularia, quam ecclesiastica, suam procedendi rationem intrusit, illa iustitiam non nisi per impeditos litium anfractus centenasque inanium subtilitatum remoras inuenire atque administrare possit. Extant de hoc malo epidemico tot piæ virorum insignium querelæ, sed irritæ huc vsque & frustraneæ. Malunt enim vt plurimum, qui iustitiæ administrandæ præsunt, in consueto strepitu forensi figuraque processuum consenescere, & quasi altum stertere, quam permittere aut studere, vt morbo inueterato vel aliquando manus medica adhibeatur. Exinde autem illud euenit, vt qui medicinam iustitiæ, nimium quantum vulneratæ, debebant afferre, vt pauperi atque diuiti ex æquo illa administraretur, eandem in præcipitio ponant, & causas ad iustitiæ normam factique veritatem decidendas præsenti periculo neglectorum processus *solennium* exponant. His enim ad amussim non obseruatis, succumbendum est etiam illi, pro quo, quantum ad *causæ merita* ex confessione omnium aperta militat iustitia. Euoluatur huc egregia *differt.* B. STRYCKII *de iudicio principis iuxta solam facti veritatem* §. 3. Interea, quanquam vniuersa fere Germania nostra, sine vlla recuperandæ sanitatis spe, communi ista lue tabeat, vnicum tamen dispensationis remedium suppetit, quo imperator & status imperii circa processus iudiciales ita versari possunt, vt ad ipsorum ambages resecandas *ordinarium* processum in *summarium* atque extraordinarium commutent.

An liceat principibus & statibus in[illegible] processus [illegible]rdinarios abrogare?

§. XXIII. Equidem & ipsi pontifices Romani dispendiosæ litium prorogationi, ex subtili ordinis iudiciarii obseruatione prouenienti, obuiam ituri, iam olim prospexere, vt in causis aliquibus expressis procedatur SIMPLICITER & DE PLANO ac SINE STREPITV & IVDICII FIGVRA. *Clem. dispendiosam. 2. de iudiciis*, dubium tamen non est, quin eiusmodi procedendi ratio a principe etiam ad alias causas, dicta constitutione *Clem.* non expressas, proferri possit. Vti enim ipsae processuum ordinationes ex authoritate & arbi-

trio principis dependent, cumque vltra lubitum non stringunt, adeo, vt iudicio BRVNNEMANNI *in process. c. 1. n. 22.* omnes (*k*) imperii status in suis prouinciis salua iustitia abrogare possint processum *ordinarium*, & eius loco introducere *summarium:* ita omnino in principis voluntate & arbitrio resignandum est, velitne ad iustas supplicantium rationes subditis indulgere, vt, quæ per solennem ordinarii processus viam tractanda erant, iam *simpliciter & de plano ac sine strepitu iudicii & figura*, seu quod eodem recidit, SOLA VERITATE FACTI INSPECTA, dirimantur. Eapropter etiam B. STRYCKIVS controuersiam, *an recepto semel processu ordinario & publica constitutione præscripto, in casu speciali, qui alias ad ordinarium processum pertinet, causæ decisionem ita princeps committere possit, vt in illa, licet ordinaria sit, sola facti veritate inspecta, remotis processuum regulis, procedatur?* affirmando decidere non dubitauit *dissert. cit. §. XI.* Imo etiam illud dubio caret, durante & flagrante iam processu, principi integrum manere, contra regulas processuum in gratiam afflictorum dispensare, vel restituendo læsum, vel & totum processum in alium mutando. STRYCKIVS *loc. cit.* vbi & hæc dispensandi potentia singulis imperii statibus competere demonstratur.

β. Eosdem plane abolendo.

§. XXIV. Vti vero ad *immutandum*, ita etiam non minus (2.) ad processum prorsus *abolendum* potestas principis dispensatoria pertingit. Mirum id videri posset, cui rationes dispensandi non satis sunt perspectæ. Attamen de asserti veritate facile constabit, vbi, quid per abolitionem processuum intelligatur, palam fecerimus. Scilicet *abolitio processus* nihil aliud est, quam exemtio *rei* a processu criminali, ante definitiuam sententiam auctoritaritate principis facta, hoc effectu, quasi nunquam inquisitio mota fuisset. *Reus* ergo per rescriptum principale ab vlteriori inquisitione liberatur. Vocari hoc ipsum in cancellariis solet einen Abolitions-Schein ertheilen.

(*k*) Id quod duntaxat de iis statibus tuto affirmari poterit, qui priuilegio *de non appellando* gaudent.

ſen. Iam olim quoque quædam abolitionis ſpecies in iudiciis Romanis vſu inualuerat, ſed quantum modernæ abolitiones a Romanis differant, quamque ob incommoda proceſſus accuſatorii, hodie admodum rari, etiam rarus eorundem in ſenſu iuris Romani vſus ſuperſit: contra, quanto frequentiores iſtæ in ſenſu iuris moderni non tantum a CÆSARE, ſed & a ſtatibus imperii, ipſisque adeo nobilibus immediatis exerceri ſoleant, idem STRYCKIVS explicat *ibidem p. 12. 13. &c.* Quoniam vero, vt ex definitione clarum, iſta proceſſus abolitio non niſi in fauorem *rei* in delicto grauiori indulgetur, forte non errauerit, qui iſtam cum *aggratiatione* conincidere putet. Eſt tamen inter vtramque differentia quædam, facile aduertenda, cum *abolitio* proprie dicenda ſit caſſatio proceſſus criminalis ante definitiuam ſententiam facta, *adgratiatio* vero poenæ iam decretae ſpontanea remiſſio.

§. XXV. Ad negotia *iudicialia* pertinet ſuo modo etiam materia de *iuramentis*. Illa enim in iudiciis plerumque, veritatis & iuſtitiæ eo melius promouendæ cauſa, alteri litigantium parti deferri ſolent. In his vero habet iterum facultas diſpenſandi, in quo exerceatur. Non quidem eo ſenſu ac reſpectu, quo ſupra *ſect. 1. c. 1. §. 14. pag. 17. ſeq.* iam oſtendimus, quod ſc. etiam iuramenti relaxatio inter *ſpecies* diſpenſationum *ſpecialiſſimas* referri ſoleat; (*l*) ſed alio, quo iuramen- *Ad negotia iudicialia pertinet etiam materia de iuramentis.*

tum

(*l*) Imo vero, quæ de relaxatione iuramenti, tanquam *ſpecie diſpenſationis* ſupra adducta ſunt, non ex noſtra, ſed aliorum mente relata volumus. De *Scholaſticis* conſtat, illos maxime de diſpenſatione iuramenti & iſtius quoque a relaxatione differentia diſputare. vid. PONCE *tract. de ſacramento matrimonii L. VIII. cap. 2.* vbi ſententia ſcholaſticorum recenſetur. Verum, ſi dicendum, quod res eſt, minus accurate procedunt, qui vinculum iuramenti diſpenſando tolli poſſe, ſibimet perſuadent. Aut enim iuramentum in ſe inualidum eſt, aut non. Poſteriori caſu non opus erit diſpenſatione, quia per ſe nullum: Priori vero nulla eſt poteſtas humana, quæ iuramentum in ſe validum & obligatorium reſcindere & annullare poſſit. Secus

tum cum sua forma & solennitate consideratur. Scilicet in vulgus notum est, communiter principes ex plenitudine potestatis suæ, vti aliis quibuscunque negotiis, ita etiam iuramentis subditorum, solennem formam externam præscribere, subditis ex æquo omnibus tam exacte obseruandam, vt ne quidem iudici inferiori ab illa recedere, aut quidquam circa illam immutare liceat. At vero, quod iudici non licet inferiori, in eo adhuc liberas tamen manus principes seruant. Neque enim eos solennitatibus a se præscriptis tam stricte inhærere oportet, quin illas nonnunquam remittere ac relaxare queant, maxime si conscientiis anxiis hac ratione succurri possit. Quid si enim fuerint inter subditos, quibus circa iuramentorum, sæpe tam horridis formulis præscriptorum, præstationem conscientiæ scrupuli suboriantur? Quid tum faciendum principi? Anne hos vel carcere, vel mulcta compellere debet ad præscriptam iurandi formam? Minime vero. Potius conscientiis, quanquam erroneis, hic consulendum, quam concedendum est, vt tyrannis in illas exerceatur. Adeoque hoc casu poterit omnino princeps dispensare, atque obligationem, subditos alias stringentem, relaxare. Cæterum hinc facile etiam iudicium formari potest, quid circa anabaptistas, separatistas, aliosque, quibus iuramenta omnia ex conscientiæ rationibus odio-

Quid principi liceat circa horum formulas praescriptas?

Secus est, si quæras, num princeps effectum iuramenti tollere, eiusque obligationi efficaciam in foro externo adimere queat ob iustam caussam? id quod largissime conceditur. Sed *aliud* est tollere effectum iuramenti, *aliud* a iuramenti vinculo dispensare. Est enim iurans prius obligatus principi, quam se alteri iuramento obstrinxit: Inde per iuramentum ab obsequio superiori debito se liberare nequit. Vti autem princeps promiscue cuicunque alteri ius quaesitum ex iusta caussa aufferre valet: Ita nullum dubium est, posse eum illud quoque ius, quod alter ex iuramento consecutus est, iusta caussa id exigente, tollere. vid. B. STRYCKIVS in modo *cit. dissertat.* Quin vero ex aliis etiam rationibus atque ex ipsis pontificiorum principiis, remissionem iuramenti male inter *dispensationes proprie dictas* referri, demonstrat idem PONCE *l. c. §. 9. p. 394.*

odiosa sunt, sit obseruandum. conf. B. IO. SAM. STRYCK. *in dissert. de iure principis circa iuramenta.*

§. XXVI. Restat, vt tandem etiam, quid principi circa ius VIOLATVM liceat, dispiciamus. Et sane deuoluimur hic ad materiam, in qua facultas dispensandi præcipuum suum subinde habuit exercitium. Quæ enim circa delictorum poenas a principe indulgentur veniæ, eas proprio nomine & quasi exochico significatu *dispensationes* appellari, cotidiana praxi constat. Idem nomen etiam poenarum canonicarum relaxationi impositum, atque dispensationem quondam criminis non *committendi*, sed *commissi* veniam fuisse, supra *sect. 1. cap. 2. §. 30.* ex historia ecclesiæ docuimus. Longe nobilissima ergo dispensationum species est illa, quæ in remissione criminum occupatur. Sunt autem poenæ delictorum pro diuersitate legum contra quas committuntur, & originis, vnde promanant, duplicis generis. Vel enim circa leges sancitæ sunt mere *humanas:* vel legibus adiectæ sunt *diuinis*, potissimum legibus naturae, & ipsum Deum quoque determinatæ sanctionis suæ auctorem habent. Prioris generis poenas ex arbitrio principum pendere & ab his non minus, quam leges ipsas, mutari, mitigari, vel & penitus auferri atque condonari posse, neminem certe inueniet contradicentem. Id tamen non prætereundum, peccaturum vtique principem & si non regulas iustitiæ, prudentiæ tamen, migraturum esse, si & in istis remittendis sese iusto mitiorem præbeat. Fieri enim non potest, quin crebriori eaque intempestiua indulgentia & legis vis eneruetur, & principum ipsorum auctoritas conuellatur. (*m*)

Quid liceat principi circa ius violatum, seu in poenis delictorum.

K 3 §. XXVII.

(*m*) Quantum vero vel vnica importuna dispensatione auctoritati legum detrahatur, nemo rectius intellexit atque obseruauit, licet in casu legislationis longe iniquissimæ, LVDOVICO XIV. rege Galliarum famosissimo. Cum enim hic edictum Nannetense reuocasset, iamque dux Schombergensis, regi alias in primis carus, primusque Franciae Marechallus, eo quod nemo prorsus in mandato regio a nouis circa

In specie in poena homicidii.

§. XXVII. Altioris indaginis quæstio est, quæ circa dispensationum poenæ, legibus naturalibus adiectæ, atque ab ipsomet Deo in sacra scriptura, determinatæ, moueri solet. Inprimis illa circa *homicidium dolosum* iam sæpius agitata & de huius poena capitali, quam plerique interpretum *Genes. IX, 6. Exod. XXI, 12. Leuit. XXIV, 17. Num. XXXV, 16. Matth. XXVI, 52. & Apoc. XIII, 10.* a Deo ipso dictatam, adeoque indispensabilem esse aiunt, disputatum fuit. Momentum controuersiæ eo redit, num aggratiatio, quæ species *dispensationis* est, in poenis delictorum a principe Christiano etiam in *casu homicidii dolosi* exerceri queat, ita, vt non obstantibus locis scripturæ modo allegatis, secure dispensare, atque reum a morte liberare possit? Ardua omnino hæc, multisque difficultatum spinis intricata materia est. Nec abnuendum, argumenta eorum, quibus negatiua defenditur, multa specie colorata esse. Quod si tamen & alteram partem audiamus, tum hic quoque nec responsiones, quibus ad dubia & exceptiones satis fiat, nec argumenta desunt, quibus sententia affirmantium præualere indicatur. Ita immotum axioma est: legem naturæ nullas plane determinare poenas. Inde autem prono alueo fluit, omnes poenas venire ex *iure positiuo*. Iam cum princeps iure positiuo, cuius ipse auctor est, non sit obstrictus, facile hinc colligitur, nec potestatem eius dispensandi restrictam esse. Videntur quidem obstare loca ex sacro codice adducta, sed quomodo ab ipsis theologis nostratibus, HEINICHIO & HANNEKENIO (n) aliisque

circa religionem legibus exemtus esset, abs rege dimissionem peteret; is auctoritatis regiæ per executionem mandati conseruandæ adeo tenax fuit, vt maluerit ministrum inuitus, nec sine lacrymis, dimittere, quam dispensando legem vulnerare, aut etiam plures illustrium subditorum ad similes petitiones, semel facta legis relaxatione, prouocare. v. *l' histoire de l' édit de Nantes iusqu' a sa reuocation par Mr.* BENOIST.

(n) HEINICHIVS in consilio theologico Homicidæ dato, *d. dissertatione* THOMASIANAE subnexo, & HANNEKENIVS in libello: *de iure christiani principis aggratiandi circa homicidium.*

que ad eadem responsum fuerit, rerum peritos latere nequit. Interea non inique petitur ab iis, qui contrarium tuentur, vt, siquidem istis sanctionibus diuinis, nos quoque hodienum obligatos credant, sententiam suam manifestis sacræ scripturæ dictis exerte roborent. Sufficit enim nobis, qui ex ratione aliter edocti sumus, ostendisse, dicta scripturæ allegata etiam alium non repudiare sensum. Tam diu autem pro conclusionibus rationis nobis standum arbitramur, quamdiu verba reuelationis non perspicue reclamant. Accedit, quod si auctoritatis momentum hic attendi debeat, maior vtique eruditorum pars a primis inde christianismi originibus pro affirmantium opinione pugnet. Etenim, vt taceamus, quæ ill. DN. THOMASIVS *in celebratissima dissert. de iure aggratiandi principis euangelici in caussis homicidii C. III. §. 1. seqq.* ex historia profana, imo & iudaica protulit; profecto poenam homicidii remitti a magistratu seculari posse, iam olim christiani primæui & horum exemplo patres crediderunt. Inde etiam est, quod pro iis intercedere clerici debuerint & præcauere, ne sanguis effunderetur *c. 1. c. 23. qu. 5.* id quod permultis ex THOMASSINO, aliisque antiquitatum promis condis, annotationibus illustrare procliue foret. Ex hoc autem simul patet, sententiam, quod poena homicidii sit indispensabilis, non esse ex doctrina primitiuæ ecclesiæ aut patrum, adde etiam moralistarum pontificiorum haustam, sed forsan propriam ecclesiis protestantibus, post reformationem demum inualescere coepisse. Conf. Magnif. DN. PRÆSES *in annot. ad Coruinum L. IV tit. 13.*

§. XXVIII. Quod vero circa poenam homicidii asserimus, idem eodem iure modoque etiam ad reliquas criminum grauiorum species applicari potest. Dummodo id inprimis caueatur, ne quam principis fauori vindicamus potestatem, eadem is promiscuo & intempestiuo indulgentiæ exercitio in delictorum securitatem temere abutatur. Quod si enim vlla vsquam, sane in dispensatione poenarum maxima opus est prudentia & cautione. Solicite igitur cauendum, vt ne, quod principi licet, in temerariam licentiam, & quod *Cautela principi commendata.*

inter-

interdum reipublicæ conducit, in eiusdem perniciem vertatur. Is vero manifestus vtique regalis huius abusus foret, si princeps homini scelesto, nulla rationabili causa motus, poenam capitalem condonaret. Dices: ita ius aggratiandi confundi cum interpretatione, quæ fit ex iustis causis. Quod si enim principi non licet nisi rationabili causa moto, in delictorum poenis dispensare, tum aggratiatio potius actus IVSTITIÆ erit, quam actus GRATIÆ. Sed resp. per *causam rationabilem* nos intelligere non *talem*, quæ principi dispensandi necessitatem imponat, sed *talem*, quæ saltim misericordiam eius tantisper prouocet. Hanc enim & insuper habere posset, nec esset tamen, cur *reus* de iniuria illata conquereretur. Tales vero causæ sunt *remittere aut mutare poenam* ob *spem emendationis*; ob *studium conseruandi saltem vnum ex duobus ciuibus aut membris reipublicæ*; ob *merita præcedentia*; ob *sustentationem familiæ delinquentis*, alias cum fame & paupertate luctaturæ; ob *intercessionem amicorum* vel intuitu delinquentis, vel & intuitu principis aggratiantis. Conf. ill. DN. THOMASIVS *in cit. dissert. de iure aggrat. C. V. §. 2*

De corruptela dispensationum hodierna, etiam in foro seculari.

§. XXIX. Eo magis vero hæc cautela principi commendanda, quo pestilentior vbique grassatur morbus, vt auaritia imperantium, foedusque ille auri argentique amor dispensationes eliciat frequentiores. Quod enim deplorandum, ea hodie etiam in foro seculari dispensationum corruptela inualuit, vt quæ natura sua gratuitæ esse debebant, iam mercenariæ (o) euaserint, atque ex illustri clementiæ principalis docu-

(o) Notauit hoc ipsum etiam B. G. A. STRVVIVS *in dissertat. de dispensationibus* a. 1674. Ienæ ventilata. In ea enim dispensationes distinguit in mere *gratuitas*, quales vtique debebant esse omnes, & *mercenarias*, quæ vt plurimum hodie conceduntur pretio interueniente. Dandum tamen, non adeo iniquas istas mercenarias esse, modo circa legem versentur, cuius obiectum in se indifferens, nec etiam ob rationes ciuitatis lege vel *præcipiente*, vel *prohibente*, necessario determinandum est. Quales quidem leges vocare possumus leges *sumtuarias*,

documento insordidæ auaritiæ fomentum degenerarint. Nec nimium forsan dixerim, si affirmem, non admodum absimilem hodie fori sæcularis faciem esse ab illa, quæ inter pontificios in foro obtinet ecclesiastico. Et parum abest, quin ad imitationem Pyrrhi Corradi, quem praxin dispensationum Apostolicarum integro volumine exhibuisse diximus, etiam praxis dispensationum politicarum prolixiori opere compilari posset. Quæ enim propemodum lex est, quæ data pecunia non relaxetur? quod statutum prouinciale, cuius valor venali in curia dispensatione non dissipetur? quænam poena in crimina sancita, cuius redimendæ spem non habeant opulentiores? ita, vt diuitum magna præ pauperibus prærogatiua sit, forsque ciuium pro fortunæ varietate admodum inæqualis deprehendatur. Adeo fere dispensationes omnes in redemtiones mere pecuniarias abiere! Quæ cum ita habeant, equidem malo huic, non sine ingenti rerumpublicarum damno latius serpenti, tempestiue obuiandum, princepsque de officio non minus, quam de potentia sua, probe commonefaciendus, denique omni contentione eo contendendum est, vt quantum monitis precibusue apud imperantes obtineri potest, non modo iustitiæ rigor gratiæ dulcedine mitigetur, sed & gratiarum dispensatio prudentiæ regulis attemperetur. Pergamus nunc ad

CAP. II.

DE IVRE DISPENSANDI IN NEGOTIIS SACRIS ET ECCLESIASTICIS.

L CON-

tuarias, *cibarias*, *vestiarias* reliquasue, moderando luxui & voluptati subditorum latas.

CONSPECTVS.

Actus

§. I.

Praemonenda, quorum (1) multa hodie inter causas ecclesiasticas referri, quae in se spectata res mere ciuiles sunt atque seculares.

Hic vero præmonendum (1) multa vtique hodienum etiam ex praxi protestantium inter *sacra* & *ecclesiastica* referri, quæ si ad genuinam eorum indolem attendas, *ciuilia* plane atque *secularia* sunt, nec nisi temporum abusu ad forum ecclesiæ traducta. Exempli loco inseruire poterunt *iura sepulturae*, & quicquid porro in consistoriis nostratium circa *coemeteria* tractari solet. vid. ill. DN. THOMASIVS in *dissert. de iure princ. Euangel. circa solennia sepulturæ*, vt & DN. PRÆSES *in de iure erigendi coemeterium cap. I.* vbi origo coemeteriorum examinatur. Eandem in classem coniicimus etiam *res* & *causas quascunque matrimoniales*. In primitiua enim ecclesia *res matrimoniales* ad solum iudicem secularem spectasse, certo certius est, idque satis etiam euincunt tot ab imperatoribus christianis de matrimonio latæ leges dictæque sententiæ, in codice tam Theodosiano, quam Iustinianeo reperiundæ. Suffragatur huic assertioni nostræ celeberrimus Tubingensium Cancellarius, DN. CHRIST. MATTH. PFAFFIVS in excellentissimo opere *de originibus I. eccles.* In hoc enim *C. IV.* § *2. p. 201.* *Iam & dispositio*, inquit, *sepulturam & matrimonia, nequidem ad iura sacrorum, sed ad iura maiestatis summa in genere pertinet* &c. Agnouere hanc veritatem etiam inter ipsos pontificios viri longe præstantissimi & iam olim quidem GVILIELM. OCCAMVS, Anglus, Regis consiliarius, qui dispensationem a LVDOVICO IV. imperatore a. 1462. in caussa LVDOVICI Marchionis Brandenburgici & MARGARETHAE, ducissæ carinthiæ, factam egregio responso defendit. E recentioribus autem M. A. de DOMINIS *in rep. eccles. L. V. C. 9.* vbi per integrum caput fusius demonstrat, matrimonii vinculum & causas a propria potestate ecclesiastica non pendere. Inprimis vero integerrimæ fidei Gallus, IO. LAVNOIVS, tum in aureo tractatu *de REGIA in matrimonium potestate*, tum & in *indice locupletissimo* erratorum contentorum in libro sic inscripto, *Dominici* GALESII ECCLESIASTICA *in matrimonium potestas.*

testas. (*a*) Vt adeo mirum sit, reperiri tamen inter ministros euangelicos, qui potestati seculari iudicium & cognitionem in caussis matrimonialibus disputare, quin & ipsos principes, exemplo WEBERI, HAVEMANNI, MYLERI ab EHRENBACH aliorumque, consistoriis suis in controuersiis ad matrimonia & nuptias spectantibus subiicere audeant.

§. II. Videlicet hi omnes inueterato præiudicio abrepti, quasi principes nostri omnem iurium circa sacra complexum ex eo tantum fundamento, quo *episcopi* personam repræsentant, exercerent, de iure sacrorum eiusque iusta indole & natura minus sobrie philosophantur. Alterum ergo & quod iam (2) loco præmonendum duximus, ad genuinam iurisdictionis ecclesiasticæ repræsentationem, lectori non satis commendandam, pertinet. In huius enim idea & conceptu si erretur, nec fausto etiam tramite ad ipsas dispensationum species in negotiis ecclesiasticis progressus fiet.

(2) ineptam esse eorum sententiam, qui principi ius sacrorum, non vt principi, sed vt episcopo adscr[ibunt].

L 3 §. III.

(*a*) Temperare mihi non possum, quin adducam paucula ex dicto LAVNOII tractatu. Potissimum vero legi meretur *caput XI. partis I.* vbi Synopsis rationum, quibus theologi magno numero ab ipso allegati, regiam in matrimonium potestatem stabiliuere, exhibetur. Vnicam tantum rationem hic excerptam dabimus. *Matrimonium*, inquit, *humanus contractus cum sit, sequitur illud ciuilium legum dispositioni subiacere. Nam omni contractui commune est, vt pro varietate temporum & hominum aliter atque aliter iniri possit & debeat, ita vt ad commune reipublicæ bonum referatur, quem finem omnes tractatus & maxime matrimoniales spectant. Quemadmodum ergo magistratum esse oportet, qui aliis contractibus leges præscribat, eosque ad reipublicæ vtilitatem dirigat, sic necessario sequitur, idem magistratus, qui contractum connubialem latis legibus regat & moderetur, idque tanto magis, quanto plus commodi, si bene, & quanto plus incommodi, si male ineatur, ex hoc contractu ad hominum societatem manare solet. Quod autem sit sacramentum, nihil interest omnino, tum quia ratio sacramenti matrimonio superueniens humanum contractum non mutat, sed potius vti idoneam materiam supponit. Quare secularis princeps aeque*

Verior sententia commendatur. §. III. Itaque iterum iterumque inculcandum, & quod *sectione II. c. 2. §. 29. & 30.* iam docuimus, cum emphasi nunc repetendum est, ius circa sacra ad solos principes, eosque, qui sacros summi imperii fasces tenent, pertinere. Nullum profecto, nullum alium nos iurisdictionis ecclesiasticæ fontem agnoscimus, quam supremam in requblica MAIESTATEM, & si de *statibus* imperii, quibus etiam *nobiles immediatos* annectimus, sermo sit, SVPERIORITATEM TERRITORIALEM. Ea enim omnium collegiorum, quorsum etiam ecclesia spectat, in republica natura est, vt principi subiaceant, huncque omnium actionum suarum, cum republica connexarum, dominum & rectorem venerentur. Quicquid vero collegiis relictum, illud omne principis beneficio adscribendum, vtpote in cuius potestate fuit, libertatem eorum vel laxare & distendere, vel etiam statu reipublicæ ita exigente, iterum restringere & determinare. Loquimur autem de actionibus & negotiis collegiorum, consequenter etiam ecclesiæ, externis, adiaphoris, in se indifferentibus, libertati atque ordinationi humanæ obnoxiis, nec vlla lege diuina iam determinatis. Igitur deponendus vel tandem est error iste communis, qui plurimorum mentes hucusque fascinauit, quemque ICti non minus, quam Theologi errarunt subinde, arbitrati, ius sacrorum principi, non vt *principi*, sed vt *episcopo* competere, eumque ideo in illius exercitio non tam *principis*, quam *episcopi*, aut *papæ* personam sustinere. (*b*)

§. IV.

que potest hunc contractam irritum facere, ac si non esset ad sacramenti dignitatem euectus.

(*b*) Euoluatur Magnif. DN. PRAESES *dissert. de iure episcopali princip. euang.* vbi hæc omnia fuse & accurate pertractantur, & maxime etiam ad obiectiones ex verbis *instrum. pac.* quibus *ius dioecesanum & iurisdictio ecclesiastica cum omnibus suis speciebus contra A. conf. electores, principes, status eorumque subditos vsque ad compositionem christianam dissidii religionis SVSPENSA dicitur art. V. §. 48. coll. cum pac. religios. §. 20.* desumtos, solide respondetur.

§. IV. Cæterum, vti omnia alia *regalia*, & inprimis *ius sacrorum* per certa principes ac determinata *collegia* exercent. Parum vero refert, quocunque illa nomine compellentur; quemadmodum & illud certum est, in principis arbitrio esse, quibusnam ipse sacrorum curam *theologis* ne, an *politicis*, an etiam collegio ex vtrisque mixto? demandare velit. Communiter in Germania consistoria, quæ vocant, in hunc finem constituta sunt, vt negotia circa ecclesiam & religionem occurrentia per illa expediantur. (*c*) De his vero obseruandum, quod omnis illorum iurisdictio, quanta & quantilla ista sit, vnice a principe dependeat. *Delegata* enim *potestate* non *proprio iure* consistoria vtuntur. Et quanquam vtplurimum ad imitationem consistoriorum episcopalium in papatu, quas officialatus vocare solent, instituta fuerint, absit tamen, vt eorum iurisdictionem ex potestatis episcopalis, a nobis hactenus reiectæ, fonte deriuari patiamur.

De consistoriis, per quæ ius sacrorum communiter exerceri solet.

§. V. His ita præmissis atque fundamenti loco prælibatis, iam inoffenso pede ad ipsa dispensationum exempla pergimus. Quemadmodum vero *potestas dispensandi*, ceu supra *Sect. I. Cap. II* §. 5. iam ostendimus, eo vsque se extendit, quo & *potestas ferendi leges*: ita cum hæc in rebus sacris & ad eccle-

Versatur potestas dispensandi in sacris I. circa personas mi-

(*c*) Illud vero notabile, neque Hamburgi, neque Norimbergæ hodienum consistoria reperiri, manifesto vtique argumento, hanc sententiam ab initio statim reformationis obtinuisse, quod consistoria a liberrima imperantium constitutione pendeant. Apposite vero ill. DN. THOMASIVS *in diss. de I. princ. euang. circa solenna sepult.* §. *XIX. p. 20. duo hic extrema vitanda esse*, ait, *vnum ne putemus, consistoriorum institutionem esse rem plane inutilem, aut reipubl. damnosam & dandam esse operam statibus imperii, vt consistoria instituta rursus abrogent.. Absit. Sapienter fecerunt principes, qui consistoria introduxerunt, maxime primis temporibus, & suas haud dubie habuerunt rationes graues, quæ & facile recenseri possent, si ex instituto nobis liberet esse prolixioribus. - . - . Sed tamen nec ex altera parte putandum est, consistoriorum tantam esse necessitatem* &c.

nisterio ecclesiae dicatas,

ecclesiam pertinentibus ad infinita fere obiecta diffundatur, palam est, inde innumeras quoque dispensandi occasiones resultare. *Tria* autem sunt potissimum obiecta, eaque generalia & præcipua, ad quae omnis legislatio in sacris reuocari potest. Vel enim leges ecclesiasticæ versantur circa *personas ministerio ecclesiæ dicatas;* vel *circa res & bona ecclesiæ;* vel denique circa *negotia ecclesiastica*, hoc est, ipsum cultum ritusque religiosos. Circa singulas fere leges singulares etiam occurrere possunt dispensationes. Id quod vt breuiter demonstremus, initium faciamus a *personis sacris*. Hæ vel *simplices* ac singulares sunt, vel *compositæ* ac morales; per *compositas* & morales intelligimus *consistoria* & *concilia*, per *simplices* ac singulares *singulos ministros* cuiuscunque ordinis & dignitatis.

& quidem vel personas simplices.

In his consideranda α. earum vocatio.

§. VI. In HIS vero consideranda iterum obueniunt (1.) *vocatio* & (2.) *ordinatio*. Circa omnia hæc vti leges ecclesiasticæ versari solent, iisque certum modum assignare: ita & facultas dispensandi suum non minus circa illa exercitium obtinet. Ad *vocationem* quod attinet, illa vt legitima sit, vtque pius ac idoneus minister vocetur, indispensabile censemus. Occurunt tamen circa vocandi *ætatem*, *corporis dispositionem* &c. nonnulla, quæ licet legibus ecclesiasticis determinata sint, dispensationem tamen haud respuunt. Ita circa *aetatem* dispositum legimus *nouell. 123. c. 1. & 13.* vt nemo 35. annis inferior *episcopus* & *presbyter*, nec annis 25. minor *diaconus* creetur. Nec minus in iure canonico *c. cum in cunctis X. de elect. & elect. pot.* cautum est, vt 30. annos habeat, qui v. gr. ad episcopatum adspirat. Non alieni etiam sunt mores ecclesiarum nostrarum ab hac dispositione iuris canonici vid. *ordin. eccles. elect. Saxon. tit.* wie ein Kirchendiener vor den consistorialen & §. weil auch. disertis verbis prouisum, daß hinführo &c. & *ordin. eccles. Guelpherbyt. de a. 1709. P. I. c. 2. §. 4.* In his enim licet determinationes iuris canonici non fuerint retentæ, caute tamen prospectum est, ne candidati iuniores ad S. ministerii munus admittantur, vel etiam ætate prouectioribus præferantur. A principe & magistratu tamen dispensari posse,

posse, modo perfectio virtutum defectum *aetatis* suppleat, idque subinde etiam inter nostrates fieri, ex praxi constat. v. B. BRVNNEMANNI *tract. posth. de iure eccles. L. I. c. 1. §. 11.* & B. STRYCK. *in notis ad eundem p. 78.* Idem sentiendum de *vitio corporis* vocationem & admissionem ad S. ministerium alias impediente *c. poenitentes dist. 5. & in c. vlt. de vnoculo.* Quodsi enim virtutes animi vitia corporis compensent, vtique fas est, vt ad illas attendatur. Praestat ministrum carere oculo alterutro, quam ecclesiam idoneo ministro. Conf. B. BRVNNEMANNVS *l. cit.* Quid in specie de vocatione *androgyni* tenendum sit, excussit post IO. FRID. MAYERVM *diss. de sacerdote androgyno* Magnificus DN. PRAESES *in I. E. prot. L. I. tit. XX. §. 10.*

§. VII. De *ordinatione* ministrorum, olim indiuulso nexu cum electione eorum cohaerente, ceu ex CYPRIANO constat *epist. 67. edit. Bremensis*, similes dispensationum casus afferri posse facile conceditur. Ipsam quidem ordinationem, ritum apostolicum & a nostris pie hactenus conseruatum esse, nemo negauerit. Quod tamen, ceu pontificii praetendunt, iuris diuini adeoque absolutae necessitatis sit, probari nequit, vid. B. SPENERVS *in consil. german. tom. IV. c. 7. art. 4. sect. 25. in f.* Hoc autem praesupposito, per se liquet, dispensandi potestatem etiam ad illam porrigi, leuitas tamen foret non facile excusanda, si princeps vel magistratus a ritu vetustissimo, publicas ob preces, in eo adhiberi solitas, valde commendabili, omnibusque legibus ecclesiasticis probato, temere recedere, & vni alteriue nulla vrgente ratione dispensare vellet. Recte enim B. ZIEGLERVS *in not. ad Lancellot. L. tit. X.* *Interim tamen*, ait, *non nisi summae necessitatis casu actus ordinationis omitti debet, vel saltem propter scandalum nouitatis euitandum.* (d) Quodsi autem *C. Ordinatio.*

(d) Absit ergo & procul absit, vt dum principum dispensandi ius tuemur, ad sacrae ordinationis vellicationem atque dissolutionem consilia suppeditemus. Iniuriam nobis fecerit, quisquis scriptionem nostram tam sinistre interpretari ausit. Illud potius semel pro semper a nobis inculcatum esto, nos principes, quorum *iura* asserimus, simul etiam

autem circa ipsam *ordinationem*, multo magis dispensatio locum inuenit circa illius *modum*, *tempus*, *locum*, *ceremonias* & *solennitates*. Sic alicubi ordinatio ad ecclesias cathedrales v. gr. in Saxonia primum ad *Wittebergensem* ac *Lipsiensem*, & postea per *general. artic. de a. 1580. tit.* von der ordination, etiam ad *Dresdensem* alligata est. Alibi vero, vt in Ducatu *Würtembergico* ordinationes in ecclesia, cui ordinandus præficitur, per Superintendentes simul cum negotio inuestituræ peraguntur. Indifferentia hæc esse, & dispensationi magistratus libere relinquenda, quis dubitet? grauior quæstio videtur, cum quæritur, an nudus *doctor theologiæ* ipse *nunquam ordinatus*, alios tamen ex commissione & dispensatione magistratus *ordinare* possit? Ad hanc respondit *facultas theologiæ Rostochiensis a. 1564.* apud DEDEKENNVM *vol. 1. P. III. m. 2. sect. 6. n. 6.* negatiue, his ex caussis, quod doctores theologiæ solenniter promoueantur non ad iura ordinis exercenda, sed ad docendum & disputandum. Verum, cum, vt diximus, ordinatio non sit actus necessarius & ad constitutionem ministri essencialis, per consequens magistratus directioni subsit, huic quoque integrum erit determinare, per quem ordinatio stricte dicta fiat. Scilicet facultas ordinandi primario dependet ex speспeciali commissione vel *ecclesiæ*, si hanc ei libertatem princeps reliquit, vel *principis*, quod praxis plerorumque locorum docet. Cæterum solet ordinarie examen ordinationi præmitti. Ab hoc autem quin pariter ministris, de quorum eruditione ac pietate iam satis constat, dispensari queat, dubium est nullum.

Vel compositas & morales, quorsum consistoria & concilia spectant.

§. VIII. Post personas *simplices* & *singulares* considerandæ nunc etiam veniunt *compositæ* & *morales*. Inter has supra CONCILIA retulimus & CONSISTORIA. Quod vero etiam *concilia* & *consistoria* aliquam dispensationibus materiam præbere possint, facile intelligitur, siquidem illa vt *col-*

etiam *officii sui* commonefactos velle. Hoc vero, vt prudenter, vt tempestiue vt cum discretione omnia gerantur, ipsos obstringit. Conf. quæ superius *sect. II. c. I.* in princip. & fine iam ingeminauimus.

collegia consideremus, principi subordinata, & ab huius arbitrio cum omni iurisdictione sua dependentia. Vtut ergo *consistoria* ordinarie hunc in finem erecta sint, vt negotia & caussæ sacræ per ipsa iudicentur, adeo tamen imperans ad illa alligatus non est, vt huic potius integrum liberumque maneat, si forte vnam alteramue caussam cognitioni consistorii subducere, eamque consilio aut collegio superiori, vel & æquali, diuerso tamen, quin etiam vni saltim alteriue ex consistorii membris committere velit iudicandam. Pariter de CONCILIIS, quæ vel *vniuersalia* vel *nationalia*, vel PROVINCIALIA esse solent, quibusque etiam synodos sacras comprehendi volumus, certum est, horum canones & sanctiones, vti a principis confirmatione omne robur habent, ita & a principe iterum dissolui, saltim vni alteriue (*e*) circa illas dispensari posse intrepide rursus affirmamus.

§. IX. Eadem ratio dispensandi etiam circa RES & BONA ecclesiæ obtinet; neque enim in *res* & *bona* minor principum, quam in *personas sacras*, potestas statuenda est. Per RES vero præcipue *templa* & quæ huc pertinent *coemeteria*, per BONA, *beneficia ecclesiastica* indigitamus. Romani olim *templa inter res diuini iuris* & *nullius referebant*, adeo, vt ne quidem area, cui templum superstructum erat, diruto ædificio, in cuiusquam dominium transiret, teste Papiniano, quem citat imperator *in* §. 1. *institut. de R. D.* Adeo autem dicebantur *nullius*, vt neque in *priuato*, neque in *publico* patrimonio existere possent, *l.* 17. *de V. S.* quod essent in solius DEI patrimonio & iure. Iuris ethnici superstitionem adoptarunt postmodum etiam christiani, vid. LANCELLOTTVS *instit. iur. can. L. II. tit. XVII. seqq.* quo clerici scopo? ostendit ill. DN. THOMASIVS *in dissertat. de natura bonorum secularisat.* §. 2. 3. Rectior itaque sententia protestantium est, templa esse in patrimo-

III. Circa res & bona ecclesiæ. Per res intelliguntur a. templa b. coemeteria.

M 2

(*e*) Conf. illustr. DN. THOMASIVS *in notis ad* LANCELOTTVM *L. III. cit. 1. p. 1267. & inprimis* ZIEGLERI *differt. de iure episcopali conuocandi synodum, quæ exstat in tractatu de episcopis L. III. c. 18. a. p. 672. ad p. 716.*

trimonio vniuersitatis, de cetero autem subesse potestati ciuili, vid. dissert. sub DN. PRÆSIDIS præsidio habita: *de potestate ciuili in templa.* Cum itaque nihil sit in republica, quod non imperio supremo imperantis subsit, nec *templa* ab eo eximenda erunt, sed potius, quia principis est, sacra publica, qua formam, tempus, atque locum, adornare, etiam penes ipsum erit templorum, in quibus sacra peraguntur, sibi curam vindicare. Omnia autem, quæ circa templa occurrunt iura, vel ad *ædificationem* vel ad eorum *dedicationem* redeunt. Regulariter itaque, cum priuatis interdicta sit templorum ædificatio, ad principis *dispensationem* recurrendum est. Plures autem in hoc argumento *dispensationum* species se obuertunt. Huc refero, quod princeps *dispensare* possit, (1) circa *oratoria priuata*, permittendo, vt etiam priuati, a templis ordinariis per locorum distantiam remoti, sibi sacella & oratoria exstruant, in quibus sacra peragantur. (2) Circa *templa publica*, concedendo, diuersæ religionis asseclis, vt non obstante ordinaria prohibitione, hi templum sibi ædificare, in eoque religionem suam impune exercere possint. Pendet hæc assertio a præiudiciali quæstione, qua disquiritur: *Num statibus euangelicis liceat exercitium religionis alienæ indulgere in suis territoriis?* quam infra discutiemus.

Quæ circa templa occurrunt iura pertinent ad ædificationem, respectu huius dispensat princeps vel quoad oratoria priuata, vel quoad templa publica. partim ad dedicationem eorum.

§. X. Exstructionem templorum ex communi ordinationum ecclesiasticarum præcepto insequitur *dedicatio.* Ordinarie hæc habetur pro necessaria, nec permitti solet, vt sacra in templo peragantur nondum dedicato. Verum vti certum est, olim primos christianos a statis ac solemnibus ceremoniis, quibus in templis consecrandis vti solent, abhorrentes, ac ædes suas ad instar synagogarum solum precibus ad DEVM factis & sacræ coenæ vsu dedicasse vid. PICTET *dissert. sur les temples chap. 9. p. 135.* ita nec dubium est, quod hodienum etiam ex principis *dispensatione* vel ipsa *solemnis dedicatio* v. gr. ad parcendos sumtus, omitti, vel & templum non inauguratum, vsu tamen sacro religionis exercitio iam destinatum, pro solemniter dedicato atque iisdem iuris effectibus ornato haberi possit. Possent etiam adhuc aliæ quæstiones

v. gr.

v. gr. *num templa alienari & ad alios vsus adplicari queant* huc moueri. De his vero vt & de quæstione, donaria templorum, sacra vtensilia, turres, campanas, &c. tangente ex hactenus dictis facile erit iudicium efformare.

§. XI. Templorum *pars accessoria* COEMETERIA habentur, atque ex hoc fundamento etiam communiter inter res spirituales, cognitioni consistoriorum subiectas, numerari solent vid. Magnif. DN. PRÆSID. *dissert. de iure erigendi coemeteria.* Illud vero per se clarum est, quod *Coemeteria*, siquæ pars accessoria sint templorum, principis potestati non minus, quam *templa* ipsa subsint. Itaque principis erit, dispensare, si extra coemeterium priuatum dormitorium sibi eligere vellet, quod regulariter nemini integrum est nisi impetrata venia BRVNNEM. *de iure eccl. lib. II. c. 2. §. 12.* ibique STRYCK *in not.* Sic etiam cum sepultura regulariter in *templis* sit prohibita, nemo sepulturam in iis impetrare poterit, nisi soluerit *dispensationis pretium.* BRVNNEM. *cit. l.* Cum coemeteriis connexum est *ius sepeliendi*, adeoque etiam ritus & solemnia sepulturæ. Nolumus vero nunc immisceri quæstionibus *de genere* vel *loco* sepulturæ, vid. illustr. DN. THOMASIVS *in dissert. de iure principis euangelici circa solemnia sepult. §. 7. & 8.* Ad ritus igitur & solemnia tantum attendamus. In hisce vero *dispensandis*, quantum valeat principis potestas, ii saltim ignorare possunt, qui naturam rituum ignorant. Itaque tuto affirmatur, posse vtique principem *dispensare*, vt consueta solemnia prorsus omittantur. Quodsi enim vidua, vel hæredes, qualem casum vir illustr. *in d. dissert.* affert, supplicando petant, vt sine omni solemnium pompa, sine sonitu & cantu, ohne Gesang und Klang, sine concione funebri, sine comitatu, aliisque ritibus cadauer mortui sepeliatur, equidem principi potestas non deesse putanda est, quin petito annuere, & contra ordinationes ecclesiasticas ex certis rationibus *dispensare* possit. Nec *inhonesta* tamen, aut *infamis* propterea talis sepultura dicenda foret. Quanquam enim *minus solemnis* sit, *inhonesta* tamen non erit. Contra si Principi placeat, vt quibus regulariter *solennis* sepultura permissa non est, ii eodem modo, quo alii honestiorum, sepeliantur, v. gr. si circa

Templorum pars accessoria coemeteria habentur.

Vbi de iure sepeliendi, tum & de potestate circa solemnia sepulturæ dispensandi.

hominis religioni publicæ & approbatæ haud addicti cadauer dispenset, vt iisdem quibus orthodoxi, ritibus ac solemnibus tumuletur, quis iterum principi potestatem *dispensandi* denegabit?

Per bona ecclesiæ intelliguntur eius beneficia, inprimis beneficia maiora ceu Episcatus Abbatia & canonicatus.

§. XII. Sequuntur iam BONA ECCLESIÆ, per quæ *beneficia ecclesiastica* indigitari diximus. Quantum circa hæc quoque princeps mutando atque dispensando valeat, *secularisatio, translatio, mutatio*, & *alienatio*, tot bonorum ecclesiasticorum post tempora reformationis a statibus euangelicis facta, abunde docuit; non iniuste autem eiusmodi secularisationes susceptas fuisse, etsi regulariter prohibitas, vid. BRVNNEMANN. *l. II. iur. eccl. cap. 3.* euicerunt RHEZIVS, MAVRITIVS, CONRINGIVS, THOMASIVS, aliique, qui occasione *instrum. pacis* vel de *secularisatione* vel de *natura bonorum secularisatorum* scripserunt. Et *de* BENEFICIIS quidem, quæ *minora* vocant, quæ & initio statim reformationis in manus protestantium devenere, res extra controuersiam est. Altioris naturæ quæstio videtur de *beneficiis maioribus*, v gr. Episcopatibus, canonicatibus, Abbatiis &c. quæ in territoriis protestantium sita, suis tamen iuribus ac priuilegiis, per instrumentum pacis ipsis confirmatis, gaudent. Cum enim hæc publica fruantur libertate, cumque iura v. gr. *capitulorum* vi sanctissimæ pacificationis inuiolata manere debeant; non sine contradictione disquiri solet, an, & quatenus in ea status euangelici supremam potestatem exercere, consequenter etiam circa iura & statuta eorum *dispensare* possint? sed facilis responsio est, si fundamenti loco substernamus, principes protestantes hodie omnia omnino iura in eiusmodi capitula obtinere, quæ in eadem olim obtinuit papa. Quandoquidem enim in *instrum. pacis* omnia papæ & episcoporum iurisdictio suspensa est, hanc ipsam sine dubio hodie principes exercent, non quidem *iure*, vt supra ostendimus, *papali* & *episcopali*, sed *iure maiestatis* & *superioritatis*, adeoque statibus euangelicis eandem circa statuta capituli dispensandi licentiam adscribimus, quae olim competebat ipsi pontifici, modo iusta vbiuis ratio concurrat. Ita si *capitula* illum, quem ob deficiens *requisitum*

Quid principes protestantes hodie circa capitula & personas canonicorum valeant?

situm eligere nequibant, *postulent*, tota *postulatio* ex principis gratia dependebit, hæcque omne suum ab ipsius *dispensatione* obtinebit implementum. Ratio est, quia quod olim sibi iuris sumsit *papa*, illud hodie rediit ad *status*. Nec aliter pronunciandum etiam de aliis dispensationum speciebus. Dispensabat olim Papa circa *natalium defectum*, si quis inter canonicos eligendos existebat; dispensabat circa diuersitatem patriæ, dispensabat circa *corporis vitia* aliasque *inhabilitates*. Quidni circa easdem hodie etiam principes nostri dispensare possent? Sed & aliæ adhuc in hac materia se offerunt quæstiones, v. gr. *an cum principum dispensatione duæ præbendæ vni conferri possint? an vna diuidi? an conferri sub conditione? an matrimonium canonicis concedi?* Porro: *an dispensari possit si vocandus operam studiis, vel plane non dederit, vel non per constitutum tempus*, scil. consuetum triennium canonicis regulariter præfixum? item an dispensari possit contra capituli statutum, *quo canonicus nouiter admissus primo residentiæ anno singulis noctibus dormire tenetur in templo?* Cum enim papæ dispensationes circa hæc omnia hodie cessent, iam iterum de principum potestate quæritur, præsertim cum capitula sola de statutis suis dispensare nequeant. Sed posito supra genuino decidendi fundamento, hæc omnia plana arbitramur atque expedita, conf. STRYCK ICtus *de iur. pap. princ. euangel. c. 5.*

§. XIII. Ita pergimus ad NEGOTIA ECCLESIASTICA h. e. ad ipsum *cultum ritusque* & *cerimonias* in ecclesia receptas. Considerari autem cultus potest vel in GENERE vel etiam in SPECIE. In GENERE consideratus vel *internus* vel *externus* est. *Internus*, vti nulli hominum imperio ita nec dispensationi subest. *Externus* iterum vel *publicus* vel *priuatus* est: de vtroque quæstio occurrit, quantum iuris circa illum principi competat. Potest autem vterque iterum vel in respectu ad *eiusdem* religionis vel etiam in respectu ad *diuersæ* religionis socios considerari. Quantum ad *eiusdem* religionis socios attinet, equidem, si ciuitas, si pagus aut vicus sit, in quo sacra publica vel nondum instituta, vel ob nume-

III. Circa negotia ecclesiastica h. e. ipsum cultum ritusque & cerimonias receptas. Vbi a. de cultu IN GENERE, & inprimis de potestate di-

spensandi circa sacra publica. numerum auditorum augenda sint, quin tum princeps *dispensando* atque *permittendo* subuenire possit, dubio caret. Quod si autem de diuersæ religionis essectis sermo sit, v. gr. si quæratur, num princeps euagelicus in territorio suo possit vel *Romano-Catholicis*, vel & si Lutheranus fuerit, *reformatis*, sacra publica indulgere? paulo difficilior & ex rationibus conscientiæ intricatior quæstio videtur. Excussit hanc materiam DN. REINHARDVS *in dissert.* sub DN. PRÆSID. habita *de potestate ciuili in templa.* Eius igitur placita a Viro Magnif. approbata, sequuturi, affirmamus, vtique & in hisce casibus tantam principis potestatem esse, vt positis ponendis, quandoque salua conscientia *dispensare* possit.

Tum respectu Reformatorum. §. XIV. Et de REFORMATIS quidem decisio expedita, nullisque difficultatibus obnoxia est. Id vnice dolendum infausti *schismatis* semina eo vsque inter nos radices egisse, vt sacra nobis inuicem denegare internamque istam spritus communionem, in qua nos versari vtriusque partis viri pientissimi perspicacissimique dudum ostenderunr, externæ communionis denegatione offuscare atque conturbare audeamus.

Tum respectu Romano-Catholicorum. §. XV. Ad ROMANO-CATHOLICOS autem quod attinet, ante omnia dispiciendum, vtrum principi in territorio per pacta cum subditis, inprimis *statibus prouincialibus* inita liberum atque integrum relictum fuerit, quid circa publicum religionis exercitium disponendum censeat, annon vero *lege territorii* fundamentali aut *religione capitulationum* ipsi manus constrictæ sint? *Posteriori casu* nolim vt pacti & iuramenti princeps temere obliuiscatur. Vereor enim ipsius conscientiæ, ne quod tuto omisisset cum huius læsione perpetret. Deinde constans regula est: tum demum *dispensandum esse* cum vel necessitas vel vtilitas reipublicæ id exigat. Verum vti, florente pace religiosa, nullus necessitatis prætextus militat; ita nec vtilitas quæpiam ex tali dispensatione facile speranda: e contrario potius damna reipublicæ metuenda, si religio stabiliatur, quam infelix experientia totius iam non ecclesiæ tantum protestantium, sed & ipsi reipublicæ insidiosam

ſam docuit ac periculoſam. Secus tamen pronunciandum de *priori caſu*. Quod ſi enim ſacra publica a libera imperantis diſpoſitione pendent, certe nec Romano Catholici ab eius benignitate excludendi erunt. Quin vero quam vellemus! vt principes Romano-Catholici eadem hic nobiſcum principia fouerent, nec potius ſua in noſtros acerbitate noſtris ſimilem in ſuos extorquerent! Sane inter ſumma principis regalia reputandum: *tolerare diſſentientes*. Vti enim vera ipſius & maxime quidem chriſtianæ religionis natura poſtulat, vt ne dominium in conſcientias affectemus: ita etiam cauendum eſt principibus, ne forte præcipuum maieſtatis ſuæ axioma, in tolerantia diſſentientium poſitum ſibi a quoquam eripi patiantur. Atque hinc intrepide aſſerimus, poſſe vtique ſummos imperantes, ſaluis & illæſis eccleſiæ, cui alias adhærent, vel cui modo nuncium miſere, vel denique, cui regendæ quocunque acquiſitionis titulo recens admouentur, iuribus, etiam Romano-Catholicis publica indulgere ſacra. Caute tamen & prudenter vt hic agant neceſſe eſt, ne ſcilicet iure ſuo in præiudicium reipublicæ, vel & in exitium eccleſiæ hactenus dominantis temere vtantur; inprimis ſi de principe euangelico, Catholicis exercitium religionis in ditione ſua conceſſuro, ſermo ſit: huic ſuadendum, vt illud non niſi ſub reſtrictione additisque conditionibus concedat, quales v. gr. eſſe poſſent, vt ſolemnes proceſſiones, expoſitiones venerabilis ac cetera omnia, ex quibus ſacra euangelicorum turbantur, illisque vllum præiudicium affertur, intermittantur. Hæc ſi obſeruet, vtique non habebunt ſubditi, ſtatusque prouinciales, quod conquerantur, cum ipſi neque directe, neque per indirectum hac publicorum ſacrorum introductione in religionis ſuæ exercitio violati dici queant. Eiusmodi prudentis diſpenſationis exemplum ſuperiori ſeculo HANNOVERA & ZELLA præbuit; ibi enim Sereniſſimus Elector Brunſuicenſis & Luneburgenſis ERNESTVS AVGVSTVS anno 1692, catholicis, quorum ſacra an. 1624. illic plane exulauerant, poteſtatem dedit templum de nouo extruendi, idque vi *iuris territorialis*, eique cohærentis *iuris reformandi*, ſine vllo tamen præiudicio, inde

N forte

forte protestantibus metuendo, tum, & saluo summo iure, quod Serenissimus Elector in sacra etiam pontificia in his terris habet, omni quippe episcoporum iurisdictione adhuc suspensa manente. vid. FABRI Staats-Cantzley *tom. XVII. p. 176.* Inprimis vero protestantes dictis in locis degentes securos reddunt ordinationes hac de re an. 1713. coniunctim editæ sub tit. Verordnung wegen des Römisch-Catholischen religions exercitii in der Stadt Hannover, vtpote in quibus publicum religionis exercitium Catholicis concessum, ita limitatum fuit, vt protestantibus nullo modo fraudi esse possit.

Item de potestate dispensandi circa sacra priuata.

§. XVI. Quod si autem, vt audiuimus, *publica*, multo magis ergo etiam PRIVATA sacra per modum *dispensandi* a principe indulgeri possunt. Euoluatur huc dissertatio DN. PRÆSIDIS *de priuatis legatorum sacris*, vbi fata priuatorum sacrorum ab origine mundi ad nostra vsque tempora curate enarrantur. Probe autem sacra *domestica* discerni debent a *priuatis*. Domestica enim, quæ in piis precibus & meditatione verbi diuini sine administratione sacramentorum consistunt, vti nemini interdicta sunt, ita nec ad *dispensationis* argumentum trahi queunt. At vero sacra priuata, quæ *exercitio vniuersali cultus diuini & sic etiam administratione sacramentorum absoluuntur, vt tamen nec publica auctoritate, nec publicis in locis, nec publicis impensis fiant, quæue adeo vel singulis patribus familiæ, vel a quibusdam congregatis adornantur, per ordinatum tamen ecclesiæ ministrum expedienda*, longe aliam naturam induerunt. De his enim constat, ea in locis, in quibus sacra vigent publica, constanter prohibita fuisse vid. *nou 18.* inprimis in ecclesia occidentali, de qua consulantur *capitularia* CAROLI M. *L. I. c. 182.* Neque vero orthodoxorum minus, quam heterodoxorum sacra priuata inde a multis retro seculis oppressa fuere. Atque eadem prohibitio post reformationem etiam in terris protestantium retenta fuit, ita vt integrum subditis non sit, sacra pro lubitu *priuatim* adornare. His autem non obstantibus, in principum tamen potestate ponimus, circa prohibitiones hasce quandoque *dispensare*; modo caueatur ab iisdem, tum ne frequentior talium sacrorum

rum

rum concessio in contemtum publicorum vergat, tum etiam ne forte *conuentus priuat* in *conuenticula* euadant *seditiosa*, quandoquidem ex historiis constat, sæpe sub inuolucro pietatis perniciosa ciuium contra rempublicam coniurantium consilia latuisse, priuatosque cœtus, religionis prætextu congregatos, in publica tandem scelerum consortia erupisse.

§. XVII. Spectata *cultus sacri* ratione, peculiarem considerationem nunc etiam meretur DIES & TEMPVS, ab ecclesia eidem destinatum. Pertinet huc maxime 1) *dies dominicus* 2) *feriæ*, diesque *festi* in honorem & memoriam sanctorum constituti. Et de *die* quidem *dominico*, in *sabbathi* iudaici vicem subrogato, vexata quæstio est, an & circa huius celebrationem potestas imperantium versetur, ita vt tam circa cultum hoc die aliar iniunctum, quam prohibitionem operarum *mutando* aut *dispensando* interuenire queant? Pendet autem decisio huius quæstionis a momento illustris controuersiæ de *origine*, *moralitate* atque *obligatione* diei dominici, inde a tot annis non sine magnis animorum motibus, in Anglia, Belgio & Germania agitatæ. Integrum hoc argumentum prolixe & data opera examinauit. B. IO. SAM. STRYCKIVS in celebri *differt. de iure sabbathi*, in qua is eorum sententiæ accessit, qui originem diei dominici ex mera obseruantia ecclesiastica deriuant. Quæ sententia si adoptetur, iam facile perspicitur, quid respondendum sit quærenti: num principi aut imperanti liceat, per modum *dispensandi* concedere, vt die dominico messis fieri possit? *l. 3. C. de fer. c. 3. X. eod celebrentur nuptiæ, instituantur iudicia, insinuentur citationes, effectui dentur exequutiones*, fiant *exactiones*, &c. Scilicet absolute loquendo talia permittendi facultas imperanti iuxta hanc hypothesin adimi non potest: *optime* tamen STRYCKIVS iudicat, eum, si ad eiusmodi *dispensationes* progrediatur, iure suo abusurum, & inprimis scopo ac naturæ tam laudabilis sanctique instituti, non sine vulnere conscientiæ & scandalo piorum aduersaturum esse. v. *d. differt. c. II. & III.* Mihi certe ita videtur, plura principi licere, quam reipublicæ, vt fiant, expedire. Itaque solicite prospiciendum, vt ne in scandalum ciuium iura principum exerceantur. Quanquam enim sententia STRY-

Ad cultum ingenere pertinet etiam dies & tempus ab ecclesia eidem destinatum. Vbi de potestate dispensandi circa iura diei dominici.

Cautela: Plura principi licent, quam quæ

semper reipublicæ expediunt.

CKIANA suis nitatur fundamentis & ab ipsa quoque AVG. CONFESS. *art. VII. p. 43. illic LONGE ERRARE dicantur, qui iudicent, diei dominici obseruationem pro sabbatho tanquam necessario institutam esse:* cum tamen & dissentientium opinio suis rationibus haud destituatur, idcirco tutissimum erit, ita se gerere christianos, vt quæ necessaria sunt, quasi ex libertate; quæ libera, quasi ex necessitate agant. Dissimilis ratio est *feriarum* & *festorum*, omnium confessione a nuda institutione humana dependentium, etiamsi nec in iis quoque *dispensationi* locum demus, nisi iusta necessitate & vtilitate illam exigente.

β. De cultu IN SPECIE, quo referimus administrationem sacramentorum, qua ritus & cerimonias spectatorum. Dispensat autem princeps circa solennia baptismi 1. quoad ritum exorcismi.

§. XVIII. Ad cultum IN SPECIE referimus *administrationem sacramentorum*. Duo autem sunt iuxta protestantium doctrinam Nov. Test. *sacramenta, BAPTISMVS* & *S. COENA*. Ad vtrumque sacramentum homines diuina lege adstringuntur. Neutrum ergo *sub dispensationem* cadit. Quæ enim ipse DEVS ceu organa & media salutis ordinauit, ab eorum receptione per imperantes humanos *dispensari* nequit. Intelligendum autem hoc solummodo de *substantia* sacramenti, qua talis, seu de sacramentis iuxta institutionem Christi in se consideratis, non item de *ritibus* & *cerimoniis* in administratione eorum adhiberi solitis. Tales vero in *baptismo* v. gr. sunt EXORCISMVS & *numerus* PATRINORVM. Circa hos enim ritus, vtut legibus ecclesiasticis plerumque determinatos, principi rursus *dispensandi* facultatem vindicamus. De EXORCISMO constat, eum ritum in se indifferentem, ideoque in multis euangelicorum ecclesiis, v. gr. in Ducatu Würtembergico, Augustæ Vindelicorum, imo in tota Sueuia dudum iam abrogatum esse. Quidni ergo iis in locis, vbi ritus iste adhuc adseruatur, vel ipsi imperanti vel eius consistorio liceret, circa hanc cerimoniam parentibus infantum, sæpe conscientiæ rationes prætexentibus, dispensare? Dolendum potius, homines euangelii luce collustratos, & spiritu libertatis animatos, vbi de *exorcismi* abrogatione lis orta fuerat, non citius sapuisse, conf *dissert.* DN. BRENEYSENII, PRÆSIDE, ILL. DN. THOMASIO habita *de iure principis circa adiaphora p. 45.*

2. quoad numerum patrinorum.

Eiusdem commatis est *numerus patrinorum*. Est ille vtique in se

ſe indifferens, nec refert, plures ne, an pauciores patrini baptiſando adſiſtant? Communiter tamen lege & ordinatione eccleſiaſtica proſpici ſolet, vt certus ſaltim numerus eorum admittatur. Eiusmodi ordinationes ſubinde per enormes, qui circa auctum patrinorum numerum inualuere, abuſus prouocabantur. Ita enim iam tempore CONCILII TRIDENTINI, teſte SARPIO, querelæ ciebantur, quod tantus *patrinorum numerus* adhiberetur. *Proferebatur*, ait SARPIVS *de concil. Trident. L. VIII. p. 674. nominatim, vti maximus abuſus impedimentum cognationis in babtiſmo contractæ, quod nonnullis in locis inuitabantur viri ad viginti, aut triginta compatres, totidemque mulieres commatres, quos inter omnes ex conſtitutione eccleſiaſtica ſpirituali cognatio contrahitur*. Atque hinc etiam in plerisque ordinationibus eccleſiaſticis medela huic abuſui allata fuit. Sic v. gr. per *conſtitutionem an. 1680.* a FRID. WILHELMO Electore, in Pomerania promulgatam, puniri iubentur, qui *plures*, quam *tres* in baptiſmo *teſtes* adhiberent. Vti autem facilis *prohibitio*, ita & facilis *diſpenſatio*.

§. XIX. Similia occurrunt in *ſacramento COENAE*. *Actus* ad eam *præparatorius* eſt CONFESSIO PRIVATA; hæc enim vt præcedat, antequam ad ſacram ſynaxin quis admittatur, plerisque ordinationibus eccleſiaſticis ſtatutum eſt. Et circa hanc quidem, tum ob ritus ſimul recepti communem venerationem, tum ob ſuperſtitionem vulgi, tum & ob intereſſe clericorum, ex nummo confeſſionario lucra quærentium, graues nonnunquam controuerſiæ oriri ſolent. Mirandum vero, ritum in tot eccleſiis Lutheranorum v. gr. Argentoratenſi, imo per vniuerſam Sueciam, Daniamque iam prorſus abrogatum, tanta tamen cum ſuperſtitione alibi ſeruari, vt ne principum quidem *diſpenſationibus* locum concedere velint, quorum intereſſe per iſtas vulneratur. Rectius tamen iudicabunt, qui, quæ fata confeſſio priuata inde a primis chriſtianiſmi originibus habuerint, ex DALLÆO *de confeſſione auriculari*, PFAFFIO *de originibus eccleſiaſticis*, vel aliunde didicerunt: nobis certe dubium non eſt, poſſe imperantes circa ritus huius omiſſionem non modo vni alteriue iſtis ex cauſſis *diſpenſare*,

Actus ad ſ. cœnam præparatorius eſt confeſſio priuata.

habet imperans ius circa illam diſpenſandi.

ſare, ſed & eundem prorſus ad exemplum eccleſiarum fraternarum abrogare. Conf. STRYCK. *in cit. diſſert. de iure ſabbathi c. 4. p. 138.* Longe minorem difficultatem habebit quæſtio, qua quæritur, anne *Parochianis*, ex ordinationibus eccleſiaſticis communiter ad certam parochiam propriumque confeſſionarium, quaſi iure bannario, alligatis a principe permitti poſſit, vt alium ſibi confeſſionarium eligant, priori derelicto? Quamquam enim ſecundum placita iuris canonici ius excipiendi confeſſiones ad proprios parochos reſtrictum ſit vid. *c. 2. X. de pœnit. & remiſſ.* vbi legitur: *omnis vtriusque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis peruenerit, omnia ſua peccata ſaltim ſemel in anno fideliter confiteatur proprio ſacerdoti*; ex quo canoniſtæ inferunt, confeſſionem alteri factam, quam proprio parocho, nullam eſſe & irritam. PETR. de MARCA *de benef. eccleſ. qu. 2. §. 2. n. 487.* Quanquam etiam ſimiles conſtitutiones adhuc inter proteſtantes vigeant, vid. *ordinat. Magdeb. eccleſ. c. 5. §. 1.* von der Beicht, vbi diſerte: daß ein ieder von ſeinem ordentlichen Pfarr-Herrn des Kirchſpiels, darinnen er wohnet, beichten und abſolution erhalten ſolle; facile tamen hoc caſu, quo parochus iure ſuo cedere detrectat, impetrari poterit conſenſus *conſiſtorii* ſeu *principis*, qui *ius bannarium* relaxet, conf. DN. PRÆS. in *iure parochiali ſect. IV. cap. 1. §. 10. ſeqq.*

Impedimentum S. communionis eſt excommunicatio.

§. XX. Impedimentum S. communionis ſeu admiſſionis ad S. cœnam eſt EXCOMMVNICATIO, quæ diuiditur in *maiorem* & *minorem*. De vtraque tenendum, quod, cuius eſt infligere, eiusdem etiam ſit relaxare. Hodie vtraque naturam poenæ criminalis induit, ſaltim veri generis pœna dicenda eſt. Quantum igitur alias princeps ſibi iuris in poenas in genere ſumit, eas vel mitigando vel commutando, vel & plane remittendo, tantundem etiam in has ipſas ſibi vindicare poterit. Simile iudicium ferendum de POENITENTIA ECCLESIASTICA; quæ olim excommunicationis ſequela fuit, hodie autem ſcortatoribus & adulteris vt plurimum iniungi ſolet, coram facie eccleſiæ in templo publice peragenda. Potiſſima actus pœnitentialis pars conſiſtit in deprecatione publica, quæ quidem reapſe nihil aliud eſt, quam

De pœnitentia eccleſiaſtica, & an illa poſſit in mulctam pecuniariam conuerti.

pars

pars *pœnæ ciuilis* ad consuetum pœnarum finem delinquentibus inflictæ. vid. TITIVS *instit. iur. publ. L. IX. c. 16.* Exinde autem per se fluit, illam iterum arbitrio principum subesse. Quin vero vti solus imperans ritus deprecationis publicæ definit, ita etiam penes ipsum erit, istam in mulctam pecuniariam conuertere, aut etiam prorsus remittere, v. ZIEGLER. *Superintend. c. 19. §. 5. 6 seqq.* & BRVNNEMANN. *iur. eccles. L. II. c. 19. §. 25. 26.* vbi dissentientes quoque adducuntur. Cæterum vt hic principi facilitatem *dispensandi* suadeamus, opus non est; cum notorium sit, nullibi fœdam magis, quam in exercitio huius pœnæ prosopolepsiam dominari, iuxta illud:

Dat veniam coruis, vexat censura columbas.

§. XXI. Quod attinet ad S. COENAM, forsan & hic quoque nonnulla licitarum dispensationum exempla ostendi possent v. gr. cum de pane orbiculari quæritur: an princeps dispensare possit, vt in casu, quo communicantes scrupulo conscientiæ anguntur, alius consuetus panis isti substituatur? item an permittere idem possit, vt S. Synaxis non in templo, cui ordinarie eius fruitio adstricta est, sed & citra ægritudinis casum, in priuatis quoque ædibus, nec post concionem tantum, aut sacra publica, sed etiam post alia pietatis exercitia priuatim instituenda, distribuatur? Sed nimium hæc delicata sunt, & forte illorum auribus, quibus falcem in alienam messem immittere videbimur, odiosa. Itaque manum de tabula.

De iure dispensandi circa panes orbiculares &c.

§. XXII. Ad sacramenta pontificii etiam RES MATRIMONIALES referunt, ipsum quippe matrimonium in sacramentorum numerum ab iis collocatur. Alia quidem æque sanior protestantium doctrina est: si tamen praxin eorum respiciamus, non adeo procul a pontificiis abesse, saltim aliter docere, aliter agere videntur. Quanquam enim sacramenti dogma ex matrimonio exulare iubeant, illius tamen fæces ac reliquias nondum omnes expurgarunt, vti id egregie demonstrauit B. IO. SAM. STRYCK. *in differt. de reliquiis sacramenti in matrimonial.* Et forte hæc genuina etiam ratio est, cur cau-

Transitus ad res matrimoniales, in quibus hodienum reliquiæ sacramenti etiam apud protestantes inueniuntur.

ſæ matrimoniales hodienum inter *ſpirituales* & *eccleſiaſticas* reputentur, ita, vt tractatio earum communiter ad conſiſtoria ablegetur. (*f*) Quo enim alio prætextu inter res ſacras & ſpirituales referri queant, non perſpicio, ſiquidem, vt *ſupra §. 11.* oſtenſum fuit, tota matrimoniorum cauſa in ſe res mere ciuilis atque ſecularis eſt. Magis cum doctrina ſua pontificiorum praxis cohæret. Horum enim a multis inde ſeculis hoc ſacrum ſtratagema fuit, vt, ſacramenti notione matrimonio impoſita, cauſas matrimoniales omnes ad forum eccleſiaſticum transferrent, easque a ſolis clericis, excluſo penitus laicorum grege, iudicari paterentur. v. STRYCK. *loc. cit. cap. 2. §. 30. ſeqq.* Cæterum ex dictis etiam per ſe patet, cur materiam de matrimonio in tractatione noſtra ad hunc vsque locum reiecerimus. Neque enim commodior alia, quam poſt ſacramenta, eius conſiderandæ occaſio viſa fuit.

Res matrimoniales fæcundiſſima diſpenſationum materia.

§. XXIII. Ad ipſam vero eius conſiderationem quando nunc accedimus, prænotamus, nos equidem minime latere, nullam vllibi ampliorem diſpenſationum ſegetem patuiſſe, quam in rebus matrimonii. Et fatendum ſane, integrum hic volumen conſcribi poſſe, ſi vel vnice fata diſpenſationum in cauſis matrimonialibus occurrentia recenſere, & de ſingulis earum ſpeciebus dignam inſtituere tractationem cuperemus. Verum enim vero vti ipſe diſſertationis noſtræ ſub manibus adauctæ conſpectus monſtrat, breuitati hic iterum ſtudendum eſſe: ita & eo breuioribus in hoc argumento nobis licebit eſſe, quo plures iam in iſto euoluendo vires ſuas

(*f*) Non eo tamen animo hæc effamur, quaſi obſeruantiam modernam improbaremus. Potius ita ſtatuimus, cauſas matrimoniales iudiciis eccleſiaſticis non male committi, ſed alio ex fundamento, ſcilicet ex delegatione principis, quippe cui liberum eſt, ad quodnam iudicium iſtas referri velit. Iam vero aliud eſt, conſiſtoriis rerum matrimonialium cognitionem prorſus abnegare, aliud, eandem abnegare ſaltem ex ſpurio fundamento. Quod ſi enim principes illas theologis relinquant, non deeſt conſilio prudentia, ceu oſtendit celeberrimus dominus PFAFFIVS *de orig. eccleſ. p. 220. & p. 227.*

suas exercuere. Vt enim de pontificiis, qui integris vastisque voluminibus suam de sacramento matrimonii doctrinam exposuere, nil dicamus, quis nescit, quot etiam nostratium opellam suam huc contulerint? adeo, vt quiqui fere de *dispensationibus* scripsere, præter dispensationes matrimoniales, prolixe & cum magno eruditionis apparatu discussas, nil sibi tractandum sumserint. Videantur modo, quos citat LIPENIVS *in Bibliotheca iuris*. Quæ cum ita habeant, breuiter saltim, & quasi per stricturas in materia hac procedemus, alii forte, eique commodiori occasioni, vberiorem eius discussionem atque ex genuinis fundamentis suis deductionem reseruaturi.

Agendum autem hic (1) de sponsalibus.

§. XXIV. Occurrunt autem in consideratione rerum matrimonialium I. SPONSALIA. II. NVPTIÆ seu MATRIMONIVM ipsum. Quæ circa sponsalia præcipere imperantes solent, fere huc redeunt. (1) ne fiant clandestina. (2) ne inuitis parentibus contrahantur. (3) ne, si vidua aut viduus illa celebrare velit, ante tempus finiti luctus iterentur. (4) ne mutuo dissensu pro lubitu & propria auctoritate iterum dissoluantur. Et hæc quidem præcepta eo sæpe robore induuntur, vt quæ in fraudem istorum praefracte ineuntur sponsalia, ipso iure nulla atque irrita habeantur. Nec iniuste. In principis enim potestate est omnibus negotiis externis & cum ciuitate connexis suam formam, suum ordinem, suosque limites præfigere. Vanæ autem principum vires essent, nisi & facta, in malitiosam legum defraudationem suscepta, iterum annullare atque irrita efficere possent. Interim quot hic præcepta, tot iterum noua dispensationum argumenta. Itaque dispensat princeps I. *cohibendo effectum legis, quo irrita fuissent sponsalia clam contracta.* Licet enim decori bonique ordinis ratio exigat, vt sponsalia non clam, sed publice, præsentibus honestis testibus, peragantur, ideoque leges clandestina prohibentes non iustæ tantum, sed & suo modo necessariæ dici possint; poterit tamen princeps a rigore suo aliquid remittere, & vel ob fauorem matrimonii subsecuturi, vel ob alias rationes, ne sponsalia corruant, dispensare. II. *Consensum a parentibus iniuste denegatum supplendo.* Variant doctores, an consensus pa-

Species dispensationum circa sponsalia diuersa.

rentum ad liberorum desponsationes etiam diuino iure requiratur? Quicquid vero huius sit, tenentur vtique parentes dissensus sui caussas exponere, quas si princeps non satis æquas ac sufficientes deprehendat, poterit omnino, ceu communis patriæ pater, suo ipse consensu interuenire, & quod ex parte parentum naturalium deficit, supplere. v. BRVNNEMANNVS *l. E. L. II. cap. 16. §. 5.* III. *Tempus præscripti luctus abbreuiando.* Ne coniuges viduati mox iterum ad noua sponsalia prouolent, honestas exigit. Inprimis vero in mulieribus viduatis necesse est, vt ob incertitudinem prolis, quam forte adhuc ex priori marito concepere, intra præstitutum anni spatium se contineant. Poterunt tamen rationes & caussæ interuenire v. gr. diutina defuncti ab vxore absentia, item longior morbi vehementia, ob quas, cessante grauiditatis periculo etiam rigor legis cessare, & circa luctus terminum licite dispensari queat. IV. *Sponsaliorum ex mutuo dissensu dissolutionem ratam habendo.* Scilicet inter alias ordinationes matrimoniales etiam hæc reperitur, ne semel desponsatis integrum amplius sit, a fide data, etiam mutuo ac libero dissensu, resilire. Et si fatendum, quod res est, vera huius prohibitionis origo, prout in iure canonico, vtque etiam in ordinationibus eccles. occurit, ex erronea & confusa sponsaliorum doctrina fluxit, maxime ex praue intellecta distinctione sponsaliorum de *præsenti* & *futuro*, de cuius *incongrua praxi in terris protestantium* integram dissertationem DN. PRÆSES edidit. Ex illa enim sponsalia in primis *pura* h. e. verbis de præsenti concepta (ita enim doctores plurimi hanc distinctionem consueuerunt applicare) instar matrimonii iam *initiati*, adeoque indissolubilia habentur. Quanquam vero, vt vir Magnificus *l. c.* solide ostendit, erronea hæc doctrina sit, alio tamen ex fundamento, ob honestatem, puta, publicam, atque ob periculum ex eiusmodi licentia oriundum, recte transactiones istæ prohibentur, ita tamen, vt istiusmodi prohibitiones semper, salua principis dispensandi facultate, intelligantur.

(2) De nuptiis seu matrimonio ipso. §. XXV. Post sponsalia NVPTIÆ seu MATRIMONIVM IPSVM considerandum venit, & illud qualem vel vt

contra-

contrahendum, vel vt iam *contractum*. Dicemus autem primo *de ritibus* ecclesiasticis, quibus matrimonia apud nos inaugurantur. Secundo de *impedimentis* quæ ex legum dispositione matrimoniis obstant *contrahendis*. Rituum, quibus matrimonia inter protestantes inaugurantur, quique principum decretis atque ordinationibus determinantur, potiores sunt: (1) *publica desponsatorum proclamatio* (2) *benedictio sacerdotalis*. Quoniam autem isti ritus ac solennitates, quantæ quantæ sunt, a principum dispositione pendent: hi etiam in illis dispensare possunt I. *trinam proclamationem vel ad vnam, vel ad binam restringendo, vel etiam plenarium eius neglectum permittendo*. Licet enim honestatis ac decori ratio requirat, vt sponsalia ciuitati publice intimentur, ne vagabundi, aut aliunde impediti, temere copulentur; sæpe tamen rationes ac motiua suppetunt, quæ omnem dispensandi difficultatem tollunt. STRYCK. *in notis* ad BRVNNEMANN. *I. E. lib. cit. c. XVI.* §. 6. II. *Benedictionis sacerdotalis omissionem concedendo*. Dura hæc videri assertio posset iis, quos opinio de singulari benedictionis huius sanctitate præoccupauit. Aliter tamen sentient, quibus penitior huius solennitatis natura rite perspecta est. Actum ageremus & sine necessitate euagaremur, si originem & fata eius inde a prima origine mundi vsque ad æram christianam, & ab hac per omnia christianismi sæcula vsque ad hanc ætatem nostram euoluere vellemus. Egregie enim id ipsum iam præstitere viri celeberrimi. B. STRYCK *in laud. differt. de reliquiis sacramenti* &c. & Magnif. DN. PRÆSES *in differt. de I. P. euangel. circa solemnia matrim.* tum & excell. DN. SAHME, Profess. Regiomont. *in differt. de matrimonio legitimo absque benedict. sacerdot.* Summa dicendorum huc redit, quod ἱεϱολογία, fatente HILDEBRANDO, celebri theologo, *de nupt. vet. Christ.* neque *de iure diuino posit.* neque *de iure gent.* neque *de iure ciu.* matrimonio essentialis, sed tantum ritus ac solennitas sit, libero imperantium arbitrio subiecta, veteribus christianis sub hac forma (g) diu igno-

Circa huius solennia num dispensare possit princeps

a. qua proclamationem publicam.

c. qua benedictionem sacerdotalem.

(g) Dico *sub hac forma* diu ignorata. Noui enim hunc ritum peruetustum

ignorata, ſuppoſititiis ſaltim EVARISTI, CALLISTI, FABIANI, paparum, decretis a GRATIANO colorata, per LEONEM imp. demum ſub finem ſecul. IX. expreſſa lege introducta, adeoque etiam mutationi ac diſpenſationi principum haud quaquam eximenda. Magna tamen hic iterum cautela opus eſt. Sicuti enim principes in quibuscunque legibus & inſtitutis antiquis immutandis caute procedere, & ex regulis prudentiæ optime iudicare debent, an conſultum ſit, abrogando aut diſpenſando aliquid immutare? Ita præcipue etiam circa diſpenſationem huius ritus, qui tam altas hactenus radices egit, qui & merito, tum ob vetuſtatem ſuam, tum etiam ob laudabilem ſcopum ſacra nobis venerationis veſtigia impreſſit, regulæ *conſilii* & *iuris* ſolicite diſtingui debent. Nolimus igitur, vt in locis, quibus laudabili inſtituto, publicaque lege hæc ſolemnitas adhuc recepta eſt, cuiquam præter *neceſſitatem* diſpenſetur, adeo, vt ſub hac cautela etiam ipſos principes in propriis matrimoniorum cauſis comprehenſos ac incluſos velimus, idque eo magis, quo grauiores adſunt rationes, quibus illi, vt ne publicæ huic ſolennitati ſe ſubducant, induci debent.

Circa matrimonia contrahenda occurrunt va-

§. XXVI. Impedimenta, quæ matrimoniis *contrahendis* obſtant, ex variis fontibus ac reſpectibus oriuntur. Vel enim principes, ad quos ſolos pertinet, impedimenta matrimonii diri-

vetuſtum eſſe & forte a Iudæis ad chriſtianos deriuatum. Quod autem *ſub hac forma* benedictio præſtita fuerit, qua hodie a ſolis miniſtris eccleſiæ præſtatur, probari nequit. Potius contrarium aſſerit SELDENVS *Lib. II. de vxore Hebræa c. 28. ſub initia*, inquiens, *chriſtianiſmi, quotquot Iudæos imitarentur, ſacros miniſtros, vt nuptiis neceſſarios, non adhibuiſſe, certum eſt.* Nec male. De benedictione enim, quam TERTVLLIANVS *de teſtim. anim. c. 2. p. 65. ſummum inter chriſtianos diſciplinæ atque conuerſationis ſacramentum* vocat, notum eſt, eam in primitiua eccleſia vſitatiſſimam fuiſſe, nec tam a ſacerdote, quam toto populo peragendam, vt inde non vane auguretur DN. PRAESES *cit. diſſert. §. V.* benedictionem hanc olim actum toti eccleſiæ communem fuiſſe.

dirimentia (b) constituere, talia constituunt intuitu *ætatis* vel intuitu *decori*, vel intuitu *religionis*, vel denique intuitu *propinquitatis*. Quot vero impedimenta, tot noua dispensationum exempla. Namque dispensat princeps I. *defectum legitimæ ætatis condonando.* Scilicet lege prospectum est, ne nimis præcoces ciuium coniunctiones fiant. Infra legitimam ætatem tamen matrimonium dispensationem admittit, quamuis in hoc ineundo non tam ad annos, quam ad prudentiam regendi & alendi familiam, respiciendum videatur. II. *Matrimonia, boni ordinis ac decori conseruandi ergo alias prohibita, permittendo.* Huc refero matrimonia ad *morganaticam*, seu *ex lege Salica* ineunda. v. LINCK. *de matrim. ex leg. Sal. contract.* Hæc enim inter nobiles sine principis dispensatione iniri non posse ostendit B. STRYCK. *de dissens. spons. sect. V.* §. 72. Pertinent huc etiam omnia alia matrimonia ex rationibus status, seu publicæ vtilitatis interdicta, qualia describit LAVNOIVS *d. tract. P. I. cap. 9. & 11. p. 49.* III. *diuersæ religionis socios in eundem torum admittendo.* Dudum inter pontificios inualuit, vt coniugia cum hæreticis vetarentur. Talia enim non solum iure ecclesiastico, sed & lege naturali illicita vocat PONCE *de sacram. matrim. in appendice*, vbi de matrimonio hæretici cum catholico prolixe. Eamobrem multis adhuc in locis, præsertim extra Germaniam, pontificis dispensatio requiritur. Interim, quantum ad dispensandi facultatem, hæc nullam prorsus difficultatem habent.

ria impedimenta, hinc & varia dispensationum argumenta.

§. XXVII. Dispensat princeps IV. *vincula cognationum ac affinitatum relaxando.* Est autem cognatio duplex, vel *ciuilis* & improprie, vel *naturalis* & proprie sic dicta. Ciuilis, quæ & mere *legalis* dicitur, ex *adoptione* oritur. Quanquam vero

Grauissima quæstio est de vinculis cognationum ac affinitatum.

(c) Contraria his est pontificiorum doctrina inter impedimenta matrimonii impedientia & dirimentia distinguentium, atque statuentium, principis secularis nullam plane in istis constituendis potestatem esse v. PONCE *cit. opere L. V. & VII.* Verum egregie illi satis fecit ac respondit LAVNOIVS *tr. cit.* per integrum librum primum.

Est autem cognatio alia ciuilis seu legalis.

vero hæc in quam plurimis locis hodie non admodum attendatur, v. STRYCK ad BRVNNEMANN. *I. E. L. II. c. 16. p. 613.* Sunt tamen nonnulla, in quibus matrimonia adoptiuorum adhuc grauiter prohibita leguntur. Ita in ducatu Würtemberg. *per ordin. matrim. cap. 3.* serio interdictum legitur: keiner soll sein adoptirt und an Kindes statt angenommene Kind ihme selbst, oder seinem Sohn, oder Tochter, anders denn die Rechte zulassen, bey schwerer Ungnade und Straffe verehlichen. His vero non obstantibus, integram tamen his casibus principi dispensandi facultatem remanere, quiuis nulla opera cognoscit. Ad cognationes *improprie* dictas ex iure canonico etiam referri solet *spiritualis* atque *pœnitentialis*, quæ vero in foris protestantium hodie plane non amplius attenduntur.

Alia naturalis.

§. XXVIII. NATVRALIS ac proprie sic dicta *cognatio* per vinculum sanguinis contrahitur, ita scilicet, vt fundamentum suum omne in quodam stipite communi, sed non nimis remoto, quærat. *Affinitas* autem nascitur ex coniunctione diuersarum cognationum per nuptias. Vtrumque & *cognationis* & *affinitatis* vinculum magnum matrimoniis obicem ponit. Probe autem distinguendæ sunt prohibitiones, quæ sunt ex *iure diuino* ab iis, quæ demum accessere per *ius humanum*. Et vt de his prius aliquid dicamus, constat, variare mores, & pro diuersitate locorum diuersas etiam apparere prohibitiones, aliis latiorem, aliis angustiorem sepem prohibitionibus diuinis circumponentibus v. HOPPIVS *comment. ad I. h. t.*

Regula generalis de gradibus iur. civ. prohibitis.

Quicquid autem sit de prohibitione graduum, siue protensior illa, siue restrictior existat, certe, cum de iure humano, & de gradibus sola lege ciuili vetitis, sermo est, quilibet per se capit, eos omnes dispensationi ciuili subiacere. Generalis ergo regula, quantum ad impedimenta *propinquitatis*, hæc est: *Omnes gradus iure humano vetitos etiam potestate humana esse dispensabiles*, modo caueant imperantes, ne solis diuitibus ob auri copiam fiat iustum, quod in pauperculis taxatur ceu iniustum.

Omnis ergo difficultas re-

§ XXIX. Adeoque omnis in hoc argumento difficultas pertinet ad gradus *iure diuino Leuit. XVIII. & XX.* interdictos.

De

De his vero vexata atque intricata quæstio est, num & illi sub dispensationem cadant? Totius controuersiæ momentum ad quas hasce quæstiones redit: (1.) *An & Christiani hodie lege ista Mosaica teneantur?* (2.) siquidem ista teneantur, *num eius prohibitiones saltim de personis inibi expressis, an vero etiam de similibus gradibus sint capiendæ?* Communiter ad primam responderi solet *affirmando*. Et recte: quanquam enim hæc lex Mosaica non sit lex *naturalis*, id quod ἐξαγόντον, nec fuerit etiam *positiua vniuersalis*, totum genus respiciens humanum, sed solis Iudæis lata, ceu exinde patet, quod illi nec ante Mosem Patriarchæ in connubiis suis se conformarint, neque etiam post Mosem ipsi *proselyti iustitiæ*, quos vocabant, inter Iudæos ad istam adstringerentur, docente SELDENO *de iur. nat. & gent. iuxta discipl. Hebr. L. V. c. 18.* ex aliis tamen fundamentis hæc lex non ad Iudæos modo, sed & hodie ad nos Christianos pertinere intelligitur. Et primo quidem exploratum est, Deum nolle, vt homines libidinibus inquietentur, sed eas, quoad licet, eiiciant, & sibi ipsis limites ponant, multo magis ergo nolle, vt Christiani, quibus DEVS perfectionem morum, consequenter etiam castitatis, pro meta posuit, in istis exercendis plus licentiæ nacti fuerint, quam olim habuerant Iudæi. Deinde omnes istæ leges, quarum non peculiares vel cum *politia Iudaica*, vel cum *cultu Leuitico* connexio erat, queue adeo ad omnes æque respublicas applicari possunt, merito in tanta apud nos veneratione esse debent, vt cum a sapientissimo legislatore profectæ fuerint, iisdem etiam nos obligatos esse censeamus. Porro cum certum sit, magnum discrimen esse inter leges *pure rituales*, & leges quæ ad *mores & agenda* spectant, nostræ autem posteriores generis sint; vtique eo magis credendum est, eas adhuc dum obligare, quo manifestius, Christum non venisse, vt eiusmodi leges, quæ nec ex figura reipublicæ Iudæicæ, nec ex cultu leuitico descendunt, sed vnice ad mores & agenda h. e. ad sanctissimum virtutis exercitium spectant, aboleret. Atque hinc etiam est, quod primi statim christiani secundum leges istas vitam instituerent, præsertim cum persuasio, eaque non vana, illos occu-

dit ad gradus iure diuino Leuit. 18. & 20. interdictos. Vbi quæritur (1) an lex Mosaica etiam hodienum obliget?

occupasset, christianismum non esse nouam religionem, sed potius *Iudaismum reformatum*, sicuti etiam ab initio christiani nomine *Iudæorum* veniebant. Ex his vero nunc facile concludi potest, christianos hodienum a vinculo harum legum matrimonialium non solutos esse, & consequenter dispensationem in gradibus *Leuit. XVIII.* expressis non admitti posse.

(2) An Leuit. 18. personæ tantum, an vero etiam gradus similes sint interdicti?

§. XXX. Alia concludendi ratio circa *quæstionem* obtinet *secundam*. In varia autem hic abeunt doctores, & tantus eorum deprehenditur dissensus, vt si de casu speciali controuertatur, responsa subinde responsis, consilia consiliis, præiudicia præiudiciis opponi possint. Scilicet si DEDEKENNVM, si consilia VITEBERGENSIA, si BERGERVM *in supplementis ad electa processus matrimon.* si BEIERVM *in dissertatione de dispensatione circa matrimonium intra gradus consanguinitatis & affinitatis prohibitos*, si STRYCKIVM *in notis* ad BRVNNEMANNVM, si alios euoluamus, aduertemus, vnum theologum subinde ab altero, vnum ICtum ab altero, vnam Facultatem ab altera, adeoque vnam etiam sententiam ab altera dissidere. Duæ autem quæstiones hic probe iterum discerni debent. Vna matrimonium *iam contractum*, altera *contrahendum* spectat. Quæritur enim (1.) *an ab imperante in eiusmodi gradibus dispensari possit, vt matrimonium contrahatur?* (2.) *an matrimonium iam contractum & vtraque copula consummatum ita tolerari queat, vt non sit rescindendum?* de *posteriori* quæstione deinceps; de *priori* adhuc pauca.

Exempla dispensationum, contra eiusmodi gradus factarum, ex responsis & consiliis collecta.

§. XXXI. Equidem plurimorum sententia eo tendit, vt circa matrimonium *contrahendum* in eiusmodi gradibus dispensari posse negent. Nec forte diffitendum, sæpe tutius tales dispensationes a principibus denegari, quam concedi. Interim non desunt viri præstantissimi, quibus contrarium arridet, non quod directe contra casus, lege diuina expresse prohibitos, dispensari queat, sed quod in *casu dubio* nuptiæ concedi possint, præsertim si rationabiles causæ adsint, quas ipsi vel ex vtilitate & necessitate, vel ex congruitate & honestate, vel etiam ex personarum dignitate æstimare solent. Consilia

lia & responsa huc pertinentia congessit B. STRYCKIVS *in notis* ad BRVNNEMANNVM. Dabimus illa breuissimis excerpta. Ita ex. gr. dispensatum legimus. (1.) Cum *defunctæ vxoris sororis nepte* per responsum Facultatis Viadrinæ de a. 1680. (2.) Cum *aui fratris vxore* per sententiam tribunalis Wismariensis apud MEVIVM *part. VIII. decis. 399.* (3.) Cum *filia sororis consanguineæ* per responsum Facultatis Helmstadiensis de a. 1681. postea a ICtis Chiloniensibus & Rintelensibus approbatum. (4.) Cum *vitrici vidua* per reresponsum Facult. Viadrinæ de a. 1673. (5.) Cum *vxoris sororis filia* per responsum Facult. eiusdem de a. 1675. quem casum etiam tanquam dispensabilem prolixissimo consilio deduxit Facult. Theol. Regiomont. (6.) Denique dispensatum legimus in *matrimonia compriuignorum*, non obstante fratre communi. Iam vero totidem consilia in contrarium quoque afferri possent. Sed remittimus lectorem ad auctores modo allegatos.

Rationes eorum, qui prohibitiones Leuiticas de personis tantum, non de gradibus intellectas volunt.

§. XXII. Videntur autem rationes eorum, qui licentiam dispensandi in hisce casibus propugnant, non contemnendæ. Potissimas illarum collegit & neruose iam proposuit DN. PRÆSES *in positionibus de gradibus matrimonial.* libello de ACTIONIBVS subiunctis. Nimirum prohibitiones graduum tanquam indispensabiles vltra personas a DEO ipso expressas non producendæ videntur, (1.) *quia probibitio graduum noua plane lex apud Iudæos fuit & quidem positiua, cum ante hanc legem libertas nullo modo restricta esset. Quatenus ergo expresse restricta non est, eatenus merito pro ea præsumendum.* (2.) *Cogitandum quoque est, hanc legem nouam Iudæis latam esse, populo satis duro & pertinaci, cui omnia clare erant præscribenda, quod etiam MOSES in aliis positiuis iuribus euidenter fecit. Quod si itaque intentio DEI fuisset, non personas, sed gradus respicere, sine dubio clarius expressisset. Accedit hisce* (3.) *Magistrorum Hebræorum sententia. Et licet hi in aliis capitibus legem valde deprauauerint, tamen nunquam in N.T. legimus, eos propterea a Christo fuisse reprehensos. Fluunt quoque* (4.) *ex contraria sententia multæ difficultates. Nam* Leuit. XVIII. 18. *prohibitum est matrimonium secundum quid cum vxoris sorore, sed in* vers. 16. *absolute prohibetur cum mariti fratre, in eodem gradu existente. Accedit* (5.) *noua repetitio harum prohibitionum*

tionum Leuit. XX. *vbi tamen eædem perſonæ tantum enumerantur, quod indicium præbet, ad has prohibitionem eſſe reſtrictam.*

His adiiciuntur nonnulla alia.

§. XXXIII. Hactenus *Vir Magnificus.* Addi poſſet rationibus adductis *α.* quod diſpar ratio ſit graduum a DEO *expreſſorum* & *non expreſſorum.* Ita v. gr. non ſequitur: Quia matrimonium *Leuit. XVIII.* cum *patrui vidua* prohibitum eſt. E. etiam cum *vxoris defuncto ſororis filia.* Licet enim eadem graduum a communi ſtipite diſtantia ſit, non eadem tamen prohibendi ratio, ſiquidem patrui viduam vt matrem venerari decet, qui vero reſpectus in matrimonio cum vxoris ſororia ceſſat. Ibi enim deſineret veneratio, ſi patrui vidua dominio maritali ſubiiceretur. Hic autem quæ materteræ marito debebatur, non deſinit veneratio, ſed per nouum vinculum potius firmatur. Atqui dices: ſi matris reſpectus obſtat, quo minus cum patrui vidua iungaris. E. & in altero caſu patris reſpectus obſtare debet, quo minus cum materteræ viduo copuleris. Verum non idem hic reſpectus *patris,* quod ibi *matris,* operatur. Vt enim dixi, nulla hic reuerentiæ, nulla officiorum confuſio. A *patre* autem *naturali* ad *materteræ maritum,* licet *patris* quoque vices repræſentantem, non valet conſequentia. Quod enim patri naturali cum filia naturali coniugia interdicta ſint, id *ex pudoris & ſanguinis ratione* eſt, quæ ipſa in caſu præſenti ceſſat. Pariter non eadem prohibendi ratio in matrimonio cum *amita* vel *matertera,* & matrimonio cum *filia fratris aut ſororis* militat. Ibi enim iterum amitæ & materteræ reuerentia debetur; hic vero ſemel debita reuerentia erga patruum & auunculum non tollitur, ſed continuatur. Difficilior forte caſus eſt, cum de vxoris defunctæ ſorore quæſtio agitatur. Tali enim matrimonio obſtat expreſſa prohibitio de ducenda fratris vidua. Neque vero priori via res expediri poteſt, ſiquidem eadem ratio vnius viri ad duas ſorores, quæ vnius ſororis ad duos fratres eſſe videtur. Sed forſan alia tamen ratio ſuppetit, vnde decidendi diuerſitas eluceſcat. Scilicet *β.* ideo matrimonium cum fratris vidua interdictum erat, quia inter Iudæos ab vnoquoque fratrum *peculiaris domus* ædificanda erat. Iam vero

con-

confusio *genealogiarum* & *domuum* facta esset, si integrum stetisset viro, fratris viduam, quæ sobolem fratri iam pepererat, & ex qua domus isti iam ædificata erat, in vxorem ducere. Hæc ipsa ratio autem in *altero casu* non reperitur. Neque enim turbantur *genealogiæ*, nec *domibus ædificandis quicquam* decedit, si idem frater duas sorores ducat, cum quidem *fœminarum* non eadem ratio habita fuerit in conseruanda & plantanda familia, quæ *marum*, id quod ex *Leuiratu* vlterius confirmari potest, ceu nouo argumento, quod fratris vidua ideo tantum duci non potuerit, quia sc. in casu sobolis iam susceptæ nefas fuerat *domum* & familiam fratris iam *ædificatam*, eiusdem sanguinis mixtura turbare, quemadmodum e contrario, sobole non existente, frater peculiari lege *Deut.XXV.* ad ædificandam fratris domum obstringebatur. Ex dictis autem elucescit, quid iam γ. roboris insit primariæ dissentientium rationi, quando ex regulis hermeneuticis ingeminant, quod *vbi eadem legum ratio, ibi eadem etiam sit legum dispositio*, prohibitiones Leuiticas ex pari prohibitionis ratione ad pares quoque gradus protendendas esse, hinc concludentes. Scilicet negatur in argumento *minor*. Ostendit etiam DN. PRÆSES in *positionibus citatis*, quomodo & reliquis obiectionibus occurri posset. Fatendum tamen, delicatius atque intricatius hoc argumentum esse, quam vt quisquam decidendi auctoritatem in isto sententiarum biuio sibi contra alios arrogare ausit.

Pergitur a matrimonio contrahendo ad contractum.

§. XXXIV. Transimus ad matrimonium *contractum*. Duæ autem quæstiones hic conglomerantur, quarum quidem alteram iam *supra* §. *XXV.* alteram mox antea §. *XXX.* attigimus. Nimirum noua hic dispensationis species emergit, cum de matrimoniis iam *contractis*, sed eo ipso, quod contra legem inita fuere, *in se irritis vanis atque nullis* disceptatur: anne illis quoque principis gratia subuenire & circa poenam *nullitatis*, in quam incurrerunt, dispensare possit? Sed facilis huius controuersiæ solutio est, modo *leges* distinguamus, ex quibus *nullitas* matrimoniis inflicta. Prout enim istæ vel *diuinæ*, vel *humanæ* esse queunt; ita etiam dispensatio vel in-

Vbi noua dispensationum species circa nullitates matrimonii emergunt.

 dulgeri

dulgeri, vel negari debet. Quantum vero ad leges *humanas* attinet, ſupponimus ante omnia, tantam eſſe legis ciuilis vim, tantum valorem atque efficaciam, vt poenam nullitatis in omnibus matrimoniis, contra ipſius tenorem atque diſpoſitionem initis, producant. Vt exemplis res clarior euadat, afferamus ex pluribus nonnulla: ita matrimonium, etiamſi iam contractum & copula carnali conſummatum, in ſe nullum atque irritum eſt, (1) ſi ſit clandeſtinum i. e. inuitis parentibus. (2) ſine diſpenſatione in gradibus per ius commune aut prouinciale prohibitis. (3) ſine principis conſenſu inter nobiles mediatos ad morganaticam. Si (4) inter perſonas ſit contractum, quibus princeps vel in poenam vel ob rationes ſtatus a matrimonio expreſſe interdixit. Cum enim eiusmodi matrimonia omnia in fraudem legum & cum proæretica iuris negligentia incantur; recte ex principis mandato reſcinduntur & tanquam illegitima pro nullis declarantur. Nec obſtat *copula ſacerdotalis*, vbi hæc iam acceſſit. Hæc ſola enim matrimonium non conſtituit, ſed potius vt pars acceſſoria ſequitur ſuum principale. Itaque ſi hoc vitioſum, etiam illa vitioſa erit. Ex actibus autem vitioſis nihil ſani atque validi ſuccreſcit. Neque obſtat etiam fauor matrimonii. Maior enim eſt favor legum, & ſanctior hic principis, quam matrimonii auctoritas. Denique nec prolis ratio habenda. Huic enim alia ratione a principe ſuccurri poteſt. Quibus ita ſuppoſitis, nunc quæſtio *principalis* redit, an aliunde tamen medela huc afferri, atque morbi hi lethales alio forte emplaſtro ſanari poſſint? Ad hanc ergo reſpondemus, vtique ſuppetere adhuc medicinam, qua vitium actuum in ſe irritorum tolli, & matrimoniis agonizantibus ſua vita reddi poſſit. Illa autem vnice eſt *gratioſa* principis *diſpenſatio*, vtpote qua ſola nullitas actuum deleri, vitium auferri & matrimonia, ex demerito contrahentium reſcindenda, iterum ſanari & quaſi retro firmari queunt. Quot igitur ſpecies antea enumeratæ, tot actus quoque diſpenſatorii, a principe exercendi. Et tum quidem fauor prolis atque matrimonii attendi meretur, cum iſte motiuum diſpenſandi præbet. Vti enim penes imperantem ſtetit,

tit, vt ex impedimentis matrimonio positis hoc ipsum vitiosum fieret: ita & penes eundem erit, medelam vitio afferre, & ex gratia confirmare, quod ex iustitia potuisset irritare. Vera autem & proprie sic dicta hæc *dispensatio* est, quæ poenam *nullitatis* ex gratia imperantis aufert. Hactenus de medela nullitatum *in genere*.

§. XXXV. Restat, vt nunc in *specie* etiam de matrimoniis, contra leges *diuinas* initis, dispiciamus. Rem breuiter expediemus. Sunt illa matrimonia vel contra *expressos* & a Deo *Leuit. XVIII. determinatos*, vel contra *similes & pares* tantum, non tamen *expressos*, gradus inita. Si *prius:* vtique rescindenda erunt: neque vlla dispensationum medicina suppetit. Sin *posterius*, momentum quæstionis ad conscientiam & persuasionem redit, quam quis de istis gradibus, non expressis quidem, pari tamen proximitatis specie militantibus, imbutus est. Si enim persuasum tibi fuerit, eos iure diuino non comprehendi, non dubitabis etiam admittere licentiam dispensandi. Sin contrarium animo sedeat, nec dispensationem aut tolerantiam suadere poteris. Quæ enim iure diuino vetita, illa facto humano non fiunt licita; & si prima vice incestum committit, qui v. gr. cum fratris filia, vxoris sorore, &c. concumbit, is sine dubio etiam, quoties iterat concubitum, toties iterat incestum. *An talis dispensatio obtineat in matrimoniis contractis quidem, sed ipsa lege diuina nullis?*

§. XXXVI. Mirum ergo, Viros, etiam eruditos, in argumenti huiꝰ diiudicatione adeo hallucinatos esse, vt asserere non dubitarint, talia matrimonia, postquam semel contracta fuerint, non facile iterum rescindenda, sed patienter potius toleranda esse. Profecto non leuiter mihi errare videntur, quiqui ita ratiocinantur. Quasi vero, quod ab initio scelus erat, noua accessione sceleris, illegitima sc. coniunctione atque fraudulenter acquisita benedictione, foeditatem suam amisisset. Potius quod semel scelestum, semper scelestum est; nec ferendum, vt copula sacerdotis fiat copula iniquitatis. Cæterum alia philosophia est eorum, quibus altera opinio arridet, personas, non gradus interdictos esse, statuentium, adeoque etiam aliter de iis erit pronunciandum. *Notatur hallucinatio quorundam eruditorum.*

§. XXXVII. Respondendum nunc etiam foret ad aliquas obie- *Solutione ob-*

iectionum, neglecta, tanguntur adhuc duæ illustres quæstiones.

obiectiones, contra superius dicta afferri solitas. Sed spatii angustia eas conflictui disputationis reseruare iubet. Denique etiam illustres nonnullæ quæstiones de effectu dispensationum euoluendæ essent, inprimis hæ sequentes: I. *an dispensationes a principibus imperii facta etiam vltra eorum territoria quicquam operentur?* II. *An dispensationes papæ, subditis protestantium indultæ, in horum quoque terris aliquem effectum nanciscantur ac valorem?* Sed deficiente spatio, iam & calamus deficit. Deinde merentur vtique hæ quæstiones ob illustre, quod continent, argumentum, peculiarem aliquam discussionem, forte a Magnif. DN. PRAESIDE data occasione, expectandam. Interim exercitii ergo nunc tribus, quod aiunt, verbis & tanquam in summa ad vtramque respondemus, & ad primam quidem, distinguendo inter dispensationes a *Cæsare*, & dispensationes a *statibus* impetratas. *Cæsareæ* dispensationes omnino per totum imperium valent, vltra illud vero non extenduntur. Ast dispensationes *statuum* territorii limitibus, quemadmodum Cæsareæ imperii, includuntur. Saltim de dispensationibus *ciuilibus* id confectum est. Circa dispensationes autem *ecclesiasticas* v. gr. matrimoniales, dubium oriri posset, quod ex pacificatione publica, ab omnibus æque statibus approbata atque confirmata, ius sacrorum statibus euangelicis omnibus ac singulis ex æquo atque independenter competat, quodque adeo dispensationes ab vno statuum factæ etiam in alterius territorio valere debeant. Verum hic post obseruantiam locorum pacta & conuenta inter status specialia tutissimum decidendi medium præbebunt. Ad secundam vero respondemus eam *simpliciter negando.* Siue enim *de effectu temporali* sermo sit, hunc dispensationi papali omnem denegamus, atque etiam supra iam denegauimus *sect. II. cap. 1. §. 13.* siue de *spirituali*, v. gr. in rebus ad beneficia ecclesiastica, itemque ad matrimonia pertinentibus, etiam hic effectus papæ, quantum ad territoria protestantium, prorsus abiudicandus erit. Fundamentum assertionis nostræ immotum atque inconcussum hoc est, quod vi *instrum. pac. Cæsareo-Suec. art. V. §. 48. omnis iurisdictio pontificis & episcoporum* plenarie & perpetuo *suspensa* sit. Quod vero perpetua suspensione abolitum & destructum, id omni etiam operatione destitutum est. Cætera per se clara. Itaque vel tandem aliquando vela contrahenda, & imponendus disputationi nostræ suus

FINIS.